

600086008S



INTRODUCTIO

IN LIBROS

NOVI TESTAMENTI.

AUCTORE


ALOISIO MESSMER,

in Seminario episcop. Brixinensi quondam studii biblici Prof. P. O.

ŒNIPONTE.

TYPIS ET SUMPTIBUS WAGNERIANIS.

1858.


BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

Praefatiuncula.

Jure merito sacra Scriptura a b. Ambrosio (De Fide l. III. c. 2) *liber sacerdotalis* vocatur; iste etenim liber *sacerdotibus* creditus est, quo et suam ipsorum animam alere possint, nec fidelium mentes fame torqueri permittant: „*In Scriptura sancta sunt deliciae cordis* . . . *uberrima pascua*“ (S. August. de Pastor. c. XIX).

Sacram autem Scripturam in pluribus esse obscuram, catholicae Ecclesiae adversarii incassum negant; hinc ut sensus rite adaperiatur, opus est *Clave*, quam Christus tenet; nullo enim alio reserante pandetur: „*Liber* . . . *quem nemo alius dignus inventus est aperire et solvere signacula ejus, mysteriaque reserare nisi Christus*“ (S. Ambros. in c. V. Apol.). Hanc autem Clavem infallibilem Christus Dominus unacum Spiritu sancto suique adjutorii promissione Ecclesiae catholicae tradidit. Igitur sacram Scripturam legentes sequantur *Duces*, qui terminos ab Ecclesia Matre constitutos minime transgrediantur.

Hujusmodi sunt libri, quos modo jussu Reverendissimi et Celsissimi D. D. *Vincentii*, Episcopi Brixinensis publici juris sumus facturi. Cl. auctor, quem praematura morte nobis ereptum deploramus — annum enim trigesimum quintum vix attigerat — ab a. 1848. usque 1856. in Episcopali Seminario Brixinensi sacros

Novi Testamenti libros summa cum laude fuerat interpretatus. Sagacissimo enim ingenio vastissimaeque eruditioni candidam prorsus in Matrem Ecclesiam junxerat pietatem. Inter scripta ab eodem relicta prae caeteris excellunt *Commentarii* in nonnullos N. T. libros, e. g. in Matthaeum, Joannem et quasdam divi Pauli epistolas, qui omnes pedetentim in lucem prodibunt. Commentariis vero praemittimus hanc brevem in N. T. libros *Introductionem*, quam — si perpaucas annotationes excipias — scripserat latine, quoniam ista disciplina theologica novissimo tempore latine erat exponenda.

Hunc librum Theologiae operam navantibus fore perutilem, minime dubitamus. Etenim cl. auctor introductionis, quam *historiam revelationis in sacris libris depositam* definit, duplex officium licet summis tantum lineamentis descriptum singulari perspicuitate et insigni prorsus conspectu lectoribus ob oculos ponit. Quaestiones historico-criticae, quibus solis enchiridia introductionis hucusque occupabantur, non rem primariam constituunt, sed „praeambula tantum ad *summam*, quae est revelatio ipsa a principiis usque ad consummationem nexu mirabili sese evolvens, prouti in sacris fontibus continetur“ (cf. §§. 2. 3. 4.). Hoc introductionis gravissimum est momentum et officium longe princeps, quo ideae in sacris libris contentae explicantur et s. Scripturae lectores edocentur, singulos N. T. libros, singulasque eorum partes stricto inter sese cohaerere nexu, mirumque in modum cunctos ad unum contendere scopum.

Donet Dominus, ut isto duce plurimi feliciter utantur!

Brixinae, mense Julio 1858.

J. C. Mitterrutzner,
Ss. Theol. Doctor.

Index.

Pag.

Pag.

Caput III.

Evangelium secundum Lucam.

Caput IV.

Evangelium secundum Joannem.

Caput V.

Quaestiones generales de quatuor Evangeliis.

PARS SECUNDA.

Actus Apostolorum et Epistolae.

Tract. A.

Actus Apostolorum.

Tract. B.

Epistolae apostolicae.

Caput I.

Epistolae B. Pauli.

Pag.

Caput II.
Epistolae catholicae.



Prolegomena.

§. 1.

Libri Novi Testamenti.

Objectum, circa quod disciplina nostra versatur, sunt libri Novi Testamenti, de quorum *denominatione, numero, divisione* etc. nobis praevie loquendum est.

1. Librorum, quibus revelationes divinae ab origine mundi usque ad consummationem in Christo Jesu continentur, denominatio frequentissima est: *Scriptura, scripturae, βίβλος, τὰ βιβλία*, sive etiam *scriptura sacra, divina* caet. Quae denominatio per se patescit; materia quippe horum librorum est *Verbum divinum* et *opus Dei;* auctor primarius *Spiritus Sanctus;* auctores secundarii sunt sancti Dei homines, qui non humana voluntate, sed Spiritu s. inspirati nobis locuti sunt (II. Petr. I, 21). — Dicuntur etiam *libri canonici* juxta usum ecclesiasticum; *κανών* quippe antiquitus erat regula fidei, et exinde collectio librorum, qui ex infallibili traditione fidei fundamenta et documenta constituebant. — Denominatio *Veteris et Novi Foederis* historiae revelationis innititur. Nam revelatio divina ad populum Hebraicum facta foederis sive pacti nomen naturamque induit (בְּרִית, *διαθήκη* i. e. dispositio); unde jam Moses librum legis סֵפֶר הַבְּרִית = librum foederis nuncupavit (Exod. 24, 7). Huic foederi *antiquo* Christus foedus *novum* opposuit dicens e. gr. „Hic est sanguis meus Novi testamenti“ etc. (Matth. XXVI, 28). Eundem Paulus ad

Hebr. (IX, 15; XII, 24) Novi testamenti mediatorem dicit. Jam libri, qui revelationem divinam ante Christum continebant, scripturae *veteris testamenti* vocari coeperunt, uti e. gr. Paulus (II. Cor. III, 14) de lectione V. T. loquitur. Exinde facile libri apostolici, qui revelationem in Christo consummatam et completam praedicabant, nomen N. T. haereditabant.

Nota. Voces *foedus* et *testamentum* quoad rem haud differunt; ita vertebatur graeca vox διαθήκη, quae utrumque significatum habet, e. gr. Hebr. IX, 15.

2. Nos libris N. T. tantummodo occupamur. Sunt vero numero 27, ab octo auctoribus conscripti, quorum 6 erant apostoli, duo — Marcus scil. et Lucas — apostolorum discipuli; et juxta Vulgatam latinam, sequenti ordine se excipiunt.

a) Quatuor Evangelia:
   1. Matthaeus; 2. Marcus; 3. Lucas; 4. Joannes.
b) Actus apostolorum.
c) Epistolae Pauli 14, et quidem: Ad Romanos (1); ad Corinthios (2); ad Galatas (1); ad Ephesios (1); ad Philippenses (1); ad Colossenses (1); ad Thessalonicenses (2); ad Timotheum (2); ad Titum (1); ad Philemonem (1); ad Hebraeos (1).
d) Epistolae catholicae 7:
   1. Jacobi; 2. 3. I. et II. Petri; 4. 5. 6. I. II. III. Joannis; 7. Judae.
e) Apocalypsis Joannis.

3. Divisio horum librorum diverso respectu fieri potest.

a) Respectu *canonis* dividuntur in libros *proto*- et *deutero-canonicos*. *Proto-canonici* dicuntur ii, de quorum origine et auctoritate omnes omnino consentiebant; *deutero-canonici*, de quibus in nonnullis ecclesiae partibus dubitatum est aliquamdiu, donec et ipsi ab ecclesia catholica communiter sunt recepti. Sunt vero inter libros N. T. septem deutero-canonici: 1. Epistola ad Hebraeos; 2. Epistola Jacobi; 3. II[da] Petri; 4. 5. II. et III. Joannis; 6. Ep. Judae; 7. Apocalypsis; et quorundam partes e. gr. Marc. 16, 19—20, Joann. 7, 53. — 8, 11.

Nota. *Apocryphi* (*βιβλία ἀπόκρυφα*) a Catholicis ii dicuntur libri, quos nonnulli scriptores, sacram novi vel veteris Testamenti Scripturam imitati, sive ex pia fraude, sive ad ignaros fideles decipiendos composuere ac falso plerumque nomine praemisso publica luce donarunt, quos tamen ecclesia catholica in sacrorum librorum canonem nunquam recepit. A Protestantibus autem libri vocantur etiam *apocryphi*, quos Catholici *deutero canonicos* adpellant.

b) Dividuntur plerumque secundum materiam in tres classes:
   a. libri historici: 4 Evangelia et Actus Apostolorum;
   b. libri didactici: Epistolae Pauli et Catholicae;
   c. accedit unus propheticus: Apocalypsis.

Nota. Haec autem sacrorum librorum divisio nonnisi *externa* et *mechanica* est. Quod si enim nexus *internus* seu *idealis* respicitur, distinctio habetur *organica* et quidem *tripartita*, scilicet: I. *Evangelia* continent historiam de Filii Dei *Incarnatione*, de mundi *Redemptione* ac de ecclesiae *Fundatione*. II. *Actus Apostolorum* et Epistolae ob oculos nobis sistunt tam apostolicae ecclesiae *propagationem exteriorem*, quam *doctrinae vitaeque formam interiorem*. III. *Apocalypsis* tandem nobis pandit ecclesiae statum et progressum usque ad consummationem.

§. 2.

Introductionis nomen et notio.

1. Notio Introductionis in libros sacros per se adeo late patet, ut, quidquid ad intelligendum exponendumque libros sacros confert, ea comprehendi possit. Historice igitur magis quam etymologice inquirere debemus, quid nunc temporis ad eam sit referendum. — Antiquissimis Ecclesiae temporibus vix paucula reperimus, quae introductionis speciem prae se ferunt. Sane Scriptura sacra apud omnes Christi fideles summa in auctoritate vigebat, summa cum diligentia conservabatur, lectitabatur per ecclesias et per domos, et omnibus thesauris praeferebatur. Nec minor diligentia in intelligendis exponendisque libris s. posita est, ita ut scientia Scripturarum *Summa* quasi theologiae habe-

retur. Attamen primis illis temporibus magno doctrinae apparatu haud opus erat; omnia quasi viva ante oculos versabantur et recenti traditione illustrabantur. Sequentibus autem saeculis, cum viva memoria inciperet obliterari et veritas traditionis impugnari, accuratiore studio doctisque adminiculis indigebant, qui s. Scripturas exponebant. Inde scientia biblica originem traxit, quae prioribus temporibus quaecumque studia philologica, historica, hermeneutica etc. promiscue diversis sub nominibus complectebatur. Ita institutio seu instructio biblica modo plura, modo pauciora et admodum varia interpretationis adminicula ministrabat. Quae commixtio studiorum sacrorum ab aetate Patrum per totum medium aevum usque ad saeculum 17. perdurabat.

Nota. Libri huc referendi. S. Hieronymi prolegomena in libr. sacr.; de viris illustribus. *Chrysostomi* prolegomena. *Augustinus:* De doctrina christiana; de consensu Evangel. Synopsis *Athanasii. Hadriani* († 450) *εἰςαγώγη τῆς θείας γραφῆς. Junilii Afri:* De partibus legis divinae (c. 460). *Cassiodori* Institutio divinarum litterarum (c. 563); tempore posteriori *catenae Patrum* usque ad *Nicol. Lyrani* († 1340) Postillas. *Sanctes Pagninus* (Dominicanus † 1541): Isagoge ad mysticos sacrae Scripturae sensus. *Sixtus Senensis* (Dominicanus † 1599): Bibliotheca sancta.

Inde prodierunt institutiones seu instructiones interpretis, apparatus biblici etc., quibus omnes disciplinae biblicae in unum quasi corpus redactae continebantur.

2. Recentioribus demum temporibus divisio studiorum facta est, ita ut institutio biblica in singulos quasi ramos diffunderetur. Hinc e. gr. philologia sacra, archaeologia, hermeneutica, critica jam diversas disciplinas constituunt. In ea partitione etiam *introductio* proprias sibi partes vindicavit, scil. sacrorum librorum, ut ita dicam, historiam literariam (Literaturgeschichte). Auctor primarius et quasi pater hujus disciplinae fuit *Richardus Simon*, Oratorianus Parisiensis, sua historia critica Vet. T. (1678) et magis adhuc sua historia critica N. T. (1689—95). Iste historiam Auctorum sacrorum, textus biblici, Versionum etc. tanta sagacitate et eruditione pertractavit, ut exinde plurimi auctores tam catholici quam protestantes ejus vestigia premerent. Ea tantum est differentia, ut penes catholicos spiritus theologicus disciplinae

magis conservaretur, dum apud exteros magis magisque ad profanos calles deflecteret. Ita e. gr. Catholici canonem ab Ecclesia traditum plerumque tuebantur, testimonia Patrum venerabantur, scripturas biblicas ut divinas debita religione tractabant, dum acatholici hosce libros frequenter haud alia aestimatione ac quoscunque profanos, ac vix tanta habebant (e. gr. Semler, Schleiermacher, Strauss, Baur etc.). Quamquam non negandum est, etiam inter Catholicos fuisse frigidos ac temerarios novatorum sectatores, ut inter protestantes extitere viri religiosi, traditae veritatis amantes. Ex dictis patet, introductionem, prouti usque ad nostros dies viget, esse *dissertationem historico-criticam de sacris libris tum singulis, tum in unum collectis,* ita ut ex ea recta Scripturae aestimatio et intelligentia pariatur.

Nota. Literatura. Hug ejusque pedissequi: Sandbüchler, Unterkircher; Feilmoser, cl. Reithmayr; cl. Adalb. Maier.

3. Quaeritur jam, num introductionis notio allata negotiumque historico-criticum, quod prosequitur, nobis sufficiat, an aliquid ulterius petamus? Negari non potest, per introductionem hoc modo tractatam magis *externa,* quam *interna* s. Scripturae tangi; dicenda foret potius *adductio* ad s. libros, quam *introductio* in praeclaros ejus thesauros. Namque materia in s. libris contenta obiter tantum attingitur et eatenus fere, quatenus criticae ansam praebet. Jam vero introductio, quae revera hoc nomen meretur, nihil sanctius habeat, quam ut sanctuarium ipsum revelationis in libris sacris pandat nobisque aditum aperiat. Et revera ideae, quae in s. libris conduntur, nequaquam sunt rudis indigestaque moles, quae per se scientiam systematicam constituere nequit; imo organismum quendam mirabilem efficiunt, qui est historia revelationis seu constitutio regni Dei, systema divinum et objectum verae scientiae dignissimum. Nostrum igitur erit, in introductione non solum tractare historiam librorum, sed historiam et revelationem libris ipsis contentam, quantum fieri potest, reconstruere ac repraesentare. Ex hoc facile patet, quaestiones historico-criticas, quae libros, auctores etc. tangunt, nobis non esse rem primariam, sed praeambula tantum ad *summam,* quae est revelatio ipsa a principiis usque ad consummationem nexu mirabili sese evolvens, prouti in sacris fontibus continetur. Introductionis ergo notionem nobis ita definire licet: *Est evolutio historiae revelationis N. T. ex sacris fontibus.*

Nota. Cf. Dr. Haneberg: „Versuch einer Geschichte der biblischen Offenbarung", 2. Aufl. Regensburg 1852.

§. 3.

Introductionis officium accuratius descriptum; ejusdem divisio.

Introductio nobis est historia revelationis, prout deposita est in libris sacris. Inde potissimum duplex introductionis munus eruiter:

1. Explicet historiam s. librorum;
2. historiam sive nexum successivum revelationis ipsius.

1. Negotium primarium introductionis est tradere *historiam literariam sacram.* Libri enim sacri sunt quasi vasa, quae debemus suscipere, priusquam exhauriamus quod continent; sunt quasi substructiones, quibus impositum est revelationis aedificium. Negotium autem hujuscemodi historiae rursus est tripartitum:

a. *Historicum* stricte tale. Inspicientibus enim codicem N. T. nobis quaestio est, qua ratione ortus sit et hanc formam acceperit. Singulorum librorum quaeritur auctor, tempus originis, locorum circumstantiae, occasio, scopus. Quaeruntur vicissitudines et fata, per quae saeculorum decursu in nostras manus devenerunt etc. Omnes istae quaestiones sunt historicae, nec aliter ac ex historia solvi possunt.

b. *Criticum.* Critica nil aliud est, quam discussio et fundatio alicujus judicii. Jam quaecumque sana historia critica carere non potest; eo minus autem historia librorum N. T., quo plura sunt in hoc genere incerta, impugnata et praejudiciis novatorum obnubilata. Utique judicium supremum a critica nostra non pendet, velut apud acatholicos, sed indubitata fide accipimus libros de manu Ecclesiae ut genuinos et incorruptos; attamen critica per scientiam fulcit, quod Ecclesiae auctoritas praebet.

c. *Theologicum.* Cum istos libros revera ut divinos respicimus et tractamus, et judicio Ecclesiae ac virorum ecclesiasticorum summas partes tribuimus.

2. Attamen introductio in officio descripto non acquiescit, sed revelationem ipsam in s. libris depositam repraesentare studebit. Scilicet non potest liber separari a textu, testimonium ab eo, quod testatur,

verbum a sensu. Proinde ideas cujuscumque libri explicare conabimur, nexum mutuamque relationem inter singulos ostendemus, et sic, quantum fieri potest, imaginem vivam universae revelationis N. T. consequemur. Hac demum ratione perspiciemus, a divina providentia omnia suo tempore, loco et ordine sapientissime esse disposita et copiosissimam non modo persuasionem sed et intelligentiam s. Scripturae lucrabimur.

3. Ex munere descripto introductionis ejusdem *divisionem* derivare possumus. Quamdiu fuit mera historia librorum sacrorum, dividi solebat in partem *generalem* et *specialem*, quarum prior ea continebat, quae omnibus libris s. sunt communia, e. gr. quaestiones de canone, de conservatione textus etc.; posterior autem ea, quae singulis libris sunt peculiaria, veluti auctor, tempus, occasio etc. — Nobis, quibus revelatio in libris sacris condita est Summa rerum, divisio alia placere non potest, quam quae fit secundum ipsas s. librorum classes.

Proinde *parte prima* tractabimus *Evangelia*,
altera Actus apostolorum et *Epistolas*,
tertia Apocalypsin.

Quaestiones generales *de Canone* et *de historia textus* ad calcem remittemus.

§. 4.

Introductionis utilitas et momentum.

1. Quatenus est *historia librorum sacrorum* multum confert tum *ad rectam eorum aestimationem* tum ad solidam *interpretationem*.

a. Aestimatio s. Scripturae datur *naturalis* et *supernaturalis*, *historica* et *dogmatica*. Pretium *naturale* sive humanum documentorum in eo consistit, ut sint genuina, fide digna, incorrupta; de quo introductio nos certissimos reddit. — Pretium *divinum* consistit in inspiratione. Jam hasce scripturas omnes et solas ab Ecclesia nunquam non ut oracula Spiritus s. fuisse consideratas, testimonia in introductione referenda abunde manifestabunt.

b. Nec minus confert *intelligentiae* et *interpretationi* scripturarum. Etenim in expositione scripturae semper ratio habenda est personae loquentis, qui fuerint primitivi lectores, considerandae sunt temporis et locorum circumstantiae, occasio scribendi etc., ut hermeneutica docet. Quae omnia introductio, quantum fieri potest, suppeditat et hisce adminiculis historicis sanae interpretationi quasi fundamentum struit.

2. Majoris adhuc momenti est introductio, quatenus explicat ideas in s. libris contentas, earumque progressum nexumque organicum. Per se patet, hoc negotio fructiferum sacrarum litterarum studium quam maxime adjuvari; ostenditur enim via, qua ingrediamur, et sacrorum librorum quasi Spiritus elucescit, ne materiarum mole obruamur. — Imo majus aliquid edicere possumus. Introductio in sensu nostro non modo manuducit ad scientiam Scripturarum, sed *hanc scientiam vere constituit*, cum sit historia revelationis ex s. Scriptura. Talis autem scientia non minorem habet dignitatem in theologia, quam Scriptura s. in Ecclesia.

§. 5.

Praecipui eventus saeculi I^{mi} chronologice definiti.

Cum in quavis fere pagina introductionis chronologiae ratio habenda sit, praevie summa ejusdem lineamenta describere juvat. Et primo quidem historiam profanam, deinde sacram respiciemus.

1. *Imperatores Romani*. Notissimum est, Romae potestatem saeculo Jesu Christi ad summum apicem pervenisse, simul autem ad occasum vergere coepisse. Omnium gentium opes in unum vastum imperium confluxerant, cujus caput Roma fuit. Simul in Urbe ipsa summa rerum in unius manu posita erat, ex quo monarchia instituta est. Quod quidem non mediocriter fidei catholicae viam parabat, simul autem et pugnas gravissimas minitabatur.

Primus Romae imperator fuit C. *Octavianus Augustus*, postquam Antonius anno a. U. c. 723 in pugna Actiaca victus erat. Regnavit usque ad annum 767 U. c., 14. aerae vulgaris. Pacatus orbis terrarum. Curae de descriptione imperii (statistische Vorkehrungen). Institutiones in Palaestina per reges et procuratores. **Christus** eo regnante natus.

Tiberius (a. U. c. 767 — 790; p. Chr. n. 14 — 37), ejusdem filius adoptivus. Major pars vitae Salvatoris nostri; praesertim vita publica, passio et mors sub ejus imperio.

Cajus Caligula (37—41) monstrum erat omnimodae voluptatis et crudelitatis. Quominus in Judaeos desaeviret, caedes ejus impedivit.

Claudius (Jan. 41. — Oct. 54). Primo Judaeis amicus, quos postea persecutus est.

Nero (54. — Jun. 68), primo quinquennio lenis, postea omnium crudelissimus et foedissimus.

Galba, Otho, Vitellius (69. 70) regnum vix acceptum cum vita perdiderunt.

Vespasianus (70—79) ab obsidione Hierosolymorum ad imperium evocatus.

Titus (79—81) ejusdem filius, amor et delicae generis humani.

Domitianus (81—96) homo saevus et persecutor Christianoram.

Nerva (97). *Trajanus* (97—117) qui saeculo Christi et Apostolorum ultimus regnavit.

2. *Eventus historiae profanae in Palaestina.*

Postquam Judaea ope familiae Hasmonaeorum a tyrannide Seleucidarum liberata erat (141 ante Chr.), regnum et sacerdotium per 80 circiter annos penes hanc familiam permansit. (*Simon* fratrum Maccabaeorum ultimus; *Joannes Hyrcanus; Aristobulus; Alexander Jannaeus*). At degeneratio domestica ipsi interitum paravit. Dum ultimi domus haeredes, fratres Hyrcanus et Aristobulus, Alex. Jann. filii, de regno disceptarunt, Pompejus cum exercitu advenit et Hierosolymam expugnavit (63. ante Chr.); sacerdotium quidem Hyrcano reliquit, summam vero potestatem Romanis reservavit, quanquam synedrio non pauca jura tribueret. Hac ratione Judaei penitus gentium jugo succubuerunt, dum bella intestina miseram regionem diu vastarent. Interea Idumaeus quidam nomine *Antipater*, a Caesare ἐπίτροπος (procurator) Hyrcano additus, favore Romanorum et sua ipsius prudentia magnam adeptus est potestatem. Is *familiae Herodianae* fuit auctor et fundator; cujus deinceps quatuor generationes summa potestate insignitas videmus.

a. *Herodes Magnus*, Antipatri filius, Antonio favente *rex* nuncupatus Romae anno U. c. 714 et post tres annos Hierosolymam

ingressus est. Antonii primo, deinde Augusti favores prudentissime sibi acquisivit, soliumque regium, extincta Hasmonaeorum familia, confirmavit. Expensa in templi aedificationem et similia, crudelitas in suam ipsius familiam et universum populum. Mortuus est anno, postquam rex fuerat appellatus, 37mo, ab Urbe cond. 750 paullo ante Pascha. Tribus filiis enecatis (Aristobulo, Alexandro, Antipatro) quatuor superstites habuit, quorum unus — Philippus (maritus Herodiadis, ab Antipa seductae) Romae privatam vitam egit, caeteri regnum adepti sunt.

b. *Archelaus* (750. (751) — 59 i. e. 6 p. Chr. n.), ethnarcha Judaeae, Samariae et Idumaeae, propter crudelitatem potestate privatus et Viennam in Gallia relegatus. Exinde procuratores, quorum sextus Pontius Pilatus (27—36).

Herodes Antipas, tetrarcha Galilaeae et Peraeae. Denique et ipse depositus et Lugdunum relegatus (— 39).

Philippus, tetrarcha Batanaeae, Auranitidis et Trachonitidis; † 37 p. Chr. n.

c. *Herodes Agrippa* I. (Herodis M. ex Aristobulo nepos) tum Caji tum Claudii favores adeptus est. Mortuo Philippo ejusdem tetrarchia donatus fuit (37), cui postea addita est tetrarchia Antipae (40), et denique a Claudio Judaea et Samaria cum titulo regio. Mortuus est 7mo dominationis anno, tribus in dignitate regia expletis, anno 43—44. Nemo rex post hunc Judaeam possedit, quae a procuratoribus administrata est. (Act. XII.)

d. *Agrippa* II. (praecedentis filius) anno 47. Chalcidem, 51. tetrarchiam Philippi adeptus cum titulo regio, ultimus ex Herodis familia summam potestatem gessit.

Sub procuratoribus sequentibus odium inter Romanos et Judaeos magis in dies exarsit; quorum ultimi fuerunt: Felix (53 — 60); Festus (60 — 62); Albinus; Gessius Florus, sub quo belli Judaici exordia anno 66, denique Hierosolyma vastata anno 70.

3. *Eventus historiae sacrae.*

Christus natus est anno a. U. c. 750 aut paullo ante. Serius nasci non potuit, cum Herodes ante Pascha 750 aut 51 et vita decessit,

quod certe aliquamdiu post nativitatem Christi factum est. Nec multo antea nasci potuit; anno enim 15. Tiberii, quando Joannes Bapt. praedicare coeperat, Christus erat quasi 30 annos natus (Luc. 3, 1. cf. v. 23). Annus autem Tiberii decimus quintus fuit a. U. c. 781; demtis 30 manent 751. — Vita Christi occulta per 30 annos.

Nota. Ex quo patet, aeram vulgarem, cujus annus I. coincidit cum 754 a. U. c., a chronologia absoluta aliquantulum discrepare. — Sunt, qui nativitatem Christi in annum 747 transferunt (e. gr. Sepp, Haneberg, Patritius), qui annos Tiberii computant ex tempore, quo ab Augusto *socius* imperii est assumtus.

Joannis Baptistae praedicatio anno Tiberii Caesaris 15to i. e. 781 a U. c. Initium vitae publicae Christi. Quae quantum temporis impleverit, num duos cum dimidio an tres cum dimidio circiter annos, non satis constat. Prius verosimilius, adeoque mors Salvatoris anno a. U. c. 783, aerae vulg. 29.

Incrementum Ecclesiae inter Judaeos per decem circiter annos. Act. 1—7.

Pauli conversio (Act. 9. Gal. 1.) anno c. 36 aut 37, qui post tres annos primum Hierosolymam proficiscitur et Apostolis se adjungit, deinde Tarsum pergit et hinc Antiochiam.

Mors Herodis Agrippae anno 43 — 44; paulo antea mors Jacobi majoris, et Petri e carcere liberatio; non multo post Pauli altera profectio Hierosolymam instituta. Act. 12.

Pauli missio prima inter gentes, qua expleta ejusdem iter tertium Hierosolymam factum *ad concilium Apostolorum,* 14 annis post conversionem, i. e. anno 50. aut 51.

Pauli missio *altera* ad Graecos in Europa, et *tertia* ad Graecos in Asia per 7—8 circiter annos.

Ejusdem captivitas in Palaestina per duos annos (58—60); appellatio ad Caesarem, adventus Romae (61) et ibidem detentio per biennium (61 —63); deinde liberatus in Orientem reversus esse videtur. Interea Hierosolymis *mors Jacobi minoris* anno 62.

Prima *Christianorum persecutio* Romae a. 64. Tandem sub Nerone martyrium Petri et Pauli (67—68?).

Sub *Domitiano* altera Ecclesiae persecutio. S. Joannis exilium in insula Pathmo; revertitur Ephesum, haereses debellat, sub Trajano moritur.

Nota. Libri, qui N. T. chronologiam pertractant, praeter „Introductiones“ sunt sequentes: Sepp „Leben Christi“. Wieseler: „Chronologische Synopse der Evangelien“. „Chronologie der Apostelgeschichte“. Patritius „de Evangeliis“ etc. Winer: „Reallexikon“ 2c.

PARS PRIMA.

De quatuor Evangeliis.

§. 6.

Evangelium; Evangelia; proto-evangelium.

1. Evangelium (εὐ-ἀγγέλλω) etymologice significat bonum aut laetum nuntium. Scriptores vero N. T. hoc nomine designant praedicationem regni Dei, seu Summam revelationis in Jesu Christo. Sic Dominus ipse narratur circuivisse praedicans Evangelium regni (Matth. 4, 23); sic Apostoli jubentur praedicare Evangelium omni creaturae (Marc. 16, 15). Sic s. Apostolus Paulus loquitur de Evangelio salutis, Evangelio pacis, Evangelio gratiae. — Hoc nomen optime exprimit naturam revelationis Jesu Christi ejusque differentiam a revelatione Veteris Testamenti in Lege et in Prophetis. Namque Lex „iram operatur“ (Rom. 4, 15) plusque terroris quam consolationis continet; Evangelium revera est laetus nuntius de „gratia et veritate, quae nobis per Jesum Christum facta est“ (Joann. 1, 17). Item Prophetae laeta quidem praenuntiabant *futura*, Evangelium vero ut *jam facta* et *praesentia annuntiat* — ἀγγέλλει.

In sensu latiori ad Evangelium possunt omnia referri, quae N. T. continentur; attamen hoc nomen strictius, ut jam Origenes observavit (comment. in Joann. 1, 5), solummodo narrationi *de dictis et factis et passione Christi* convenit. Sic jam in epistola ad Ephesios (4, 11) praeter doctores et pastores enumerantur *Evangelistae*, ut proprio munere et charismate insigniti. Haec narratio seu διήγησις, quae fundamentum totius N. T. constituit, primum *oretenus* tradebatur, postea

a viris ad hoc inspiratis *scripto* commendata est, unde ex uno Evangelio *plura Evangelia* sunt exorta.

2. Ex natura et progressu apostolicae praedicationis facile depromi potest, *quomodo* et *quando* ejusmodi narratio necessaria esse coeperit. Praedicatio semper et ubique coepta est a persona Jesu Christi — „nos autem praedicamus Christum crucifixum" (1. Cor. 1, 23; 2, 2); quod etiam exempla evangelizationis, quae Actus Apost. referunt, satis ostendunt, e. gr. c. 10. 13. 16. — Jam primis temporibus et in ipsa Judaea longa narratione opus non erat, cum omnia omnibus essent notissima. Sic e. gr. Petrus in die pentecostes ad populum verba faciens, quae ad vitam et fata Jesu pertinent, brevissime commemorat (Act. 2.); quin etiam in domo Cornelii gentilis et pluribus post annis dicere potest: „*Vos scitis*, quod factum sit verbum per universam Judaeam . . . Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus" etc. (ib. 10, 37 sq.). — Cum vero verbum Dei Judaeae fines transgrederetur, et in Palaestina ipsa memoria rerum imminueretur, tum utique accuratior de Jesu Christo narratio necessaria facta est. Neque tamen statim ab initio talis diegesis *conscripta* esse credenda est. Etenim neque praecones inspirati ipsi tali instrumento indigebant, neque auditores, quamdiu testes vivi ipsis aderant. Secus autem postea, cum testes paulatim decederent et timendum esset, ne genuina traditio corrumperetur. Tunc historia scripta non modo utilis, sed maxime necessaria evasit. Hinc legimus in Luca, *multos conatos esse* ordinare ejusmodi narrationem (1, 1). Ne autem res tanti momenti casui fortuito relicta videretur, neve ἡ ἀσφάλεια per quoscumque scriptores pessumdaretur, Deus sapientissime providit, ut per viros inspiratos hoc negotium susciperetur.

3. Saeculo praeterlapso et primis decenniis currentis multus sermo factus est de sic dicto *Proto-evangelio* (Urevangelium). Quodsi traditionem communem de vita fatisque Christi, et quidem in forma nequaquam definita, hoc nomine compellare libet, nihil obstat; alio vero sensu existentiam Proto-evangelii negamus. Non erat *documentum scriptum* lingua sive aramaica sive graeca, quod quasi fontem communem Evangeliorum constituebat; nam hypothesis ejusmodi documenti nec ullis testimoniis Veterum fundatur, nec ad declarandam sive consonantiam sive discrepantiam Evangeliorum aliquid valet — quod inferius

demonstrabitur. — Neque traditio viva de factis dictisque Christi *formam penitus absolutam atque definitam* induerat, quae quasi πρωτότυπον (Urbild) evangelicae scriptionis esset; quod praeter rationes allatas vetat inspiratio Spiritus s., quae viva et efficax in Apostolis operabatur.

§. 7.

Evangeliorum numerus et ordo chronologicus.

1. Jam disseruimus, quomodo unum Evangelium per scriptionem in plura Evangelia dimanaverit, multosque fuisse, qui ad hoc negotium se accinxerint (Luc. 1, 1). Quaeritur jam, *quot* ab initio in Ecclesia habita sint ut canonica et inspirata? Ecclesia nunquam nec plura nec pauciora quam *quatuor* admisit. Hinc e. gr. Irenaeus loquitur de Evangelio quadriformi (*Εὐαγγέλιον τετραμόρφον*), Origenes de sacra Evangeliorum tetrade (*ἡ τῶν εὐαγγ. ἁγία τετράκτη*), idemque expresse dicit: „Ecclesia quatuor habet Evangelia, haeresis plurima" (hom. I. in Luc.). Hoc jam ab antiquissimis temporibus non aliter se habuisse, testatur *s. Justinus Martyr* († 167), qui vocat Evangelium „memorabilia ab Apostolis eorumque discipulis composita (*ἀπομνημονεύματα, ἅ φημὶ ὑπο ἀποστόλων αὐτοῦ καὶ τῶν ἐκείνοις παρακολουθησάντων συντετάχθαι*" [Apol. II. p. 98]). Haec etiam Evangelia appellari — *ἅ καλεῖται Εὐαγγέλια* — commemorat et ex singulis quaedam affert. — Ejus discipulus Tatianus († 170), auctor Encratitarum, harmoniam quandam Evangeliorum composuit, quam *διατεσσάρων* appellavit (Euseb. H. e. IV, 29), quod opus etiam Theodoretus commemorat a multis etiam orthodoxis usitatum (Haeret. fab. I, 20). Alia testimonia superfluum est adducere, cum ex allatis satis clarum sit, jam saeculo II^do^ eadem quatuor Evangelia in usu fuisse, quae nos habemus.

2. Quaeritur jam, quo temporis ordine sibi successerint. Ad hoc eruendum primo consulendi erunt antiqui canones, codices, versiones. Exceptis duabus versionibus, Itala antiqua et Gothica, quarum ordo est secundum dignitatem (Matthaeus, Joannes, Lucas, Marcus), omnes caeteri canones et manuscripta eum sequuntur ordinem, quem nostrae editiones servant, nempe: Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes,

Hujus ordinis alia causa perspici non potest, nisi chronologica successio scriptorum.

3. Hoc confirmatur ex Veterum testimoniis. S. *Irenaeus* († 202), Polycarpi et Papiae discipulus et traditione Orientis et Occidentis bene imbutus, nostram seriem testatur. „Matthaeus . . . deinde Marcus . . . Lucas . . . deinde Joannes" (Euseb. H. e. V, 8). *Origenes* († 254) eundem ordinem per numeralia: *πρῶτον*, *δεύτερον*, *τρίτον* etc. designat (Eus. H. e. VI, 25). Sequuntur hos *Eusebius Caesar.*, historiae eccles. pater († 340) et s. *Epiphanius* episcopus Salaminensis († 402). Apud Latinos praeter canonem antiquissimum Ecclesiae Romanae, fragmentum Muratorianum dictum, qui hoc de Luca et Joanne testatur, *Hieronymus* († 420) et *Augustinus* († 430). Ex tota antiquitate unus est *Clemens Alex.* (post 189 Pantaeni in schola Alexandrina successor), qui affirmat, Evangelia, quae habent genealogias i. e. Matthaei et Lucae, prima esse composita (*προγεγράφθαι τὰ περιέχοντα τὰς γενεαλογίας*. Euseb. [ex libris *ὑποτυπώσεων*] h. e. VI, 13). Sed cum nemo Veterum eum sit secutus et caeteri omnes eandem traditionem referant, etiam nos ordinem canonis nostri ut chronologicum servabimus.

Nota. Cf. Kirchhofer „Quellensammlung des n. t. Canons." Zürich 1842.

Caput I.

Evangelium S. Matthaei.

§. 8.

S. Matthaeus ejusque Evangelium ex s. Scriptura et Veterum testimoniis.

1. Matthaeus, ut ipse de se narrat, fuerat publicanus et a Domino transeunte a telonio vocatus est, ut ipsum sequeretur (Matth. 9, 9). Idem a Marco (2, 13) et Luca (5, 25) vocatur Levi; sed cum historia evidenter eadem sit, nihil est, cur hunc a Matthaeo distinguamus. Invitatus illico telonium reliquit et Dominum secutus est, miraculum

gratiae, factus ex publicano Domini hospes et exemplum pro aliis peccatoribus. Postea a Domino in Apostolorum numerum electus, comes ejus assiduus testisque plurimarum rerum, quas enarrat, ocularis fuit. Post catalogum Apostolorum (Act. 1.) non amplius in s. Scriptura commemoratur, et ex diversis traditionibus non satis certum est, quid ei postea evenerit. Eusebius enarrat, eum primo Hebraeis praedicasse Evangelium, dein ad alios transiisse (H. e. III, 24), et Rufinus (Hist. eccl. X, 9) scribit: „Matthaeo Aethiopia, eique adhaerens citerior India Bartholomaeo *dicitur sorte* decreta" — incerta satis traditio. Item Eusebius auctor est, Pantaenum in India, quo evangelizandi causa perrexerat, librum hebraicum Matthaei invenisse, a Bartholomaeo illuc delatum (India = Arabia felix). Pariter dubium est, utrum martyrio, an placida morte vitam finierit.

2. Huic ergo Matthaeo una omnium voce primum Evangelium tribuitur. Testis inter Patres antiquissimus est:

a. *Papias*, episcopus Hieropolitanus (c. 118), Joannis Apostoli discipulus et Polycarpi amicus. Is, ut refert Eusebius in hist. eccl. 3, 39 (ex libris 5 deperditis Papiae „*λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεως*): *περὶ δὲ τοῦ Ματθαίου ταῦτα εἴρηται· Ματθαῖος μὲν οὖν ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο· ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ ὡς ἠδύνατο ἕκαστος.*

Nota. Utrum Papias etiam hujus assertionis Joannem presbyterum fecerit auctorem, e contextu non liquet. *τὰ λόγια* sine dubio eundem sensum habent, quem „*τοῦ Χριστοῦ λεχθέντα ἢ πραχθέντα.*"

b. *Irenaeus* (haer. l. III. citatus ab Euseb. H. e. V, 8): *ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος λ.*

Nota. E quibus tria colliguntur: *α*) Matthaeum esse Evangelii auctorem; *β*) eundem lingua usum fuisse hebraica; *γ*) tempus definitur, quum etiam Marci facta sit mentio.

c. Origenes (cujus canon citatur ab Eusebio H. e. VI, 25): *ὡς ἐν παραδόσει μαθών . . . ὅτι πρῶτον μὲν γέγραπται τὸ*

κατὰ τὸν πότε τελώνην, ὕστερον δὲ ἀπόστολον I. X. Ματθαῖον, ἐκδεδωκότα αὐτὸ τοῖς ἀπὸ Ἰουδαϊσμοῦ πιστεύσασι, γράμμασιν Ἑβραικοῖς συντεταγμένον.

d. *Eusebius* (h. e. III, 24): *Ματθαῖος μὲν γὰρ πρότερον Ἑβραίοις κηρύξας, ὡς ἔμελλε καὶ ἐφ᾽ ἑτέρους ἰέναι, πατρίῳ γλώττῃ γραφῇ παραδοὺς τὸ κατ᾽ αὐτὸν Εὐαγγέλιον.*

e. *Cyrillus Hierosol.* († 385 catech. 14): *Ματθαῖος ὁ γράψας τὸ Εὐαγγέλιον· Ἑβραΐδι γλώσσῃ τοῦτο ἔγραψεν.*

f. *Epiphanius* (haer. XXX, 3.): *δέχονται μὲν καὶ αὐτοὶ (ὁι Ναζωραῖοι) τὸ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον . . . . καλοῦσι δὲ αὐτὸ κατὰ Ἑβραίους, ὡς ἀληθῆ ἐστιν εἰπεῖν ὅτι Ματθαῖος μόνος ἑβραιστὶ καὶ ἑβραικοῖς γράμμασιν ἐποιήσατο τὴν τοῦ Εὐαγγελίου ἔκθεσιν.*

g. *Hieronymus* (de vir. ill. c. 3): Matthaeus, qui et Levi, ex publicano Apostolus, primus in Judaea propter eos, qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Christi hebraicis litteris verbisque composuit, quod quis postea in Graecum transtulerit, non satis certum est [1]). Porro ipsum hebraicum habetur usque hodie in Caesareensi bibliotheca . . . Mihi quoque a Nazaraeis, qui in Beroea, urbe Syriae, hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit. — Id. (in comment. in Matth. 12, 13): Evangelium, quo utuntur Nazaraei et Ebionitae . . . vocatur a plerisque Matthaei authenticum.

Huc accedunt *testimonia indirecta* i. e. citationes ex hoc Evangelio in antiquissimis scriptoribus tum ecclesiasticis tum haereticis.

Ex his testimoniis efficitur non solum, Matthaeum esse primi Evangelii auctorem, sed et quidquid certi de scriptione hujus Evangelii haberi potest, exinde erui debet.

§. 9.

De lingua originaria Matthaei et de sorte authentici.

1. Cuncta testimonia allata antiquissimorum Ecclesiae scriptorum expresse narrant, Matthaeum lingua hebraica i. e. aramaica communi

---

1) Auctor „Synopsis Athanasii“ (edit. Paris. tom. II. p. 155) scribit, s. Jacobum, Domini fratrem ac Hierosolymorum episcopum, id graece reddidisse. —

Evangelium exarasse. Unde mirum est, quemquam de re tantopere confirmata dubium movere potuisse. Et revera usque ad Erasmum Roterodamum (saeculo XVI.) nemini unquam in mentem venit, traditioni antiquae hac de re contradicere. Is primus docere coepit, Evangelium nostrum ab initio lingua graeca scriptum fuisse. Ejus opinionem secuti sunt plures, praecipue ii, qui hoc argumento innixi affirmabant, librum, quem nos Matthaei nomine habemus, non esse eundem, quem Matthaeus revera conscripsit (Schleiermacher); sed et nonnulli, qui etsi Evangelium nostrum ab initio graecum fuisse opinentur, tamen ut genuinum Matthaei defendunt (praecipue Leon. Hug. Einleitung 2. Thl.)

2. Argumenta, quae ad hoc confirmandum afferuntur (v. Hug), haec inprimis sunt:

a. Testimonia scriptorum ecclesiasticorum nullis fundamentis niti; Papiam enim, utpote virum parvi admodum ingenii (*πάνυ σμικρὸν τὸν νοῦν*. Euseb.), a Nazaraeis et Ebionitis, suum Evangelium Matthaeo adscribentibus, esse deceptum; huic deinde Irenaeum, Origenem et reliquos nimis facile credidisse. — Ast temeraria penitus est assertio, Papiam et reliquos omnes tam facile fraudi aditum praebuisse.

b. Linguam graecam tunc temporis in Palaestina admodum fuisse cultam et ab omnibus intellectam. — Ast hoc plus non efficeret, quam Matthaeum graece scribere *potuisse*, minime vero *debuisse*. Negari enim non potest, linguam communem et praedilectam fuisse aramaicam (cf. Act. 22, 2).

c. Locos citatos ex Veteri Testamento non esse juxta textum hebraicum, sed nonnunquam juxta versionem LXX interpretum, nonnunquam paululum et ab hebraico et a LXX differre. — Sed quid vetat supponere, translatorem graecum potius versionem consuetam quam textum originarium nonnunquam esse secutum? aut Matthaeum ipsum, qui non proprie *hebraice* sed *aramaice* scripsit, textum hebraicum sensui suo paululum adaptasse? cf. 26, 31 (Zach. 13, 7); 27, 9 (Zach. 11, 12) etc.

d. Denique Evangelii hebraici nusquam certum vestigium in Ecclesia antiqua occurrere, nec esse credibile, documentum tam pretiosum tam mature penitus interiisse, si quando extiterit. —

2. *Locus* editionis Evangelii est Palaestina, ubi lingua syrochaldaica vigebat; fortasse Hierosolyma ipsa, uti habet synopsis Athanasii. *Lectores* vero primitivi erant credentes ex Judaismo, quod patet ex loco et lingua originaria, nec minus ex traditione Veterum. Sed et res ipsae in Evangelio tractatae idem ostendunt. Totius enim Evangelii oeconomia talis est, ut Veteri Testamento quasi superstruatur et Judaeos inprimis respiciat; et singularia quaedam de locis, moribus, rebus etc., quae caeteri Evangelistae nota aliqua illustrant, obiter tantum commemorantur, utpote lectoribus notissima. Cf. Matth. 15, 1 seqq. et Marc. 7, 1 seqq. v. 11: *κορβᾶν* (*ὅ ἐστι δῶρον*). — Matth. 26, 17: *τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων προσῆλθον* etc. et Marc. 14, 12: *τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τ. α., ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον* etc. Matth. 27, 57—60 et Marc. 15, 42: *ἦν παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον.*

§. 11.

Matthaei argumentum.

Synopsis et divisio materiae vario modo fieri potest, prouti Evangelistam nostrum consideramus a) *in semetipso*, b) relate ad *reliquos* praecipue synopticos, sive tandem c) relate ad *historiam evangelicam universim.*

1. Quodsi Evangelistam *in semetipso* tantum ob oculos nobis ponimus, i. e. quomodo ipse ideam suam organice explicat, divisio aptissime fieri potest in duplicem introitum et tres partes.

Introitus prior ac remotior ea complectitur, quae ad Salvatoris nativitatem et infantiam pertinent. Cap. I. et II.

Introitus *alter* ac propior exhibet ea, quae immediate vitam ejus publicam praecedunt: praedicationem Joannis Baptistae, Jesu baptismum et tentationem (III—IV. 11).

Pars prima (IV, 12. — XIII, 52.)

revelationem ejus tum verbis tum factis in Galilaea continet et ejusdem successum.

Pars secunda (XIII, 53. — XVIII.)

Christi separationem et recessum a populo et fundationem regni inter discipulos.

Pars tertia (XIX—XXVIII.)
denique complectitur iter Jesu in fines Judaeae et Jerusalem, ultima ejus ibidem dicta gestaque et consummationem.

2. Relate ad alios Evangelistas, Marcum inprimis et Lucam, praeter introitum duplicem superius commemoratum, divisio fieri potest in duas partes, quarum prior Christi *operationem publicam in Galilaea* complectitur (IV, 12. — XVIII. parallel. Marc. I—IX; Luc. IV, 14. XVII, 10); altera, quae *sequuntur in finibus* Judaeae, Jerusalem usque ad consummationem (XIX — XXVIII. parall. Marc. X — XVI; Luc. XVII, 11. — XXIV.).

3. Relate ad universam historiam evangelicam divisio videtur aptior in minores sermonum aut rerum homogenearum series (einzelne Gruppen), prouti se excipiunt. E. gr. Jesus sese manifestat 1. *verbis*, dum praedicat in monte; 2. *factis*, quae sunt miracula. 3. Ecclesiae incrementum = missio Apostolorum. 4. Christi doctrina opponitur Judaismo etc.

§. 12.

De Matthaei consilio.

Quale consilium intenderit Evangelista, nusquam directe expressit; ex indiciis tamen indirectis concludi potest ac debet.

1. Generale consilium Evangelistae hoc fuit, ut historiam componeret dictorum factorumque Domini. Neque solum διήγησις est singularum rerum absque nexu, sed historia ordinata sive pragmatica, prouti Summa rerum ab initio usque ad consummationem sese evolvit. Tamen non omnia narrat, ut Evangelium quasi biographia dominica considerari possit, sed quandam rerum *selectionem* fecit. Item non omnia eo ordine tractat, quo revera gesta sunt, sed ordine chronologico omisso quaedam ita componit, ut ad veritatem aliquam illustrandam connexa appareant. Ex quo patet, Evangelistam praeter scopum historicum *dogmaticum* quoque ante oculos habuisse. Qualis iste fuerit, quaeritur.

2. Trita est opinio, Matthaeum Evangelio suo voluisse demonstrare, Jesum esse Messiam in V. T. promissum. Quod verissimum est; nullus enim Evangelistarum tam frequenter ab initio usque ad

finem in Christo completa esse ostendit, quae a Prophetis praedicta sunt. Hoc tamen non exhaurit thema Evangelii. Non enim circa personam Christi tantum versatur, sed arctissime cum ipsa conjungit *Ecclesiam* tum veterem (Judaicam), tum novam (Christianam), illius nempe eversionem, hujus aedificationem.

3. Quod per totum Evangelium evidenter ostendere licet.

a. Statim in exordio annuntiat nobis Jesum Christum filium David et Abrahae *simulque* Filium Dei, dum e. gr. Marcus Filium Dei solum proclamat. (C. I.)

b. Jam ante vitam publicam status Ecclesiae antiquae, defectus, fata etc. in vita Salvatoris quasi in speculo apparent. (II. III.)

c. Vitam publicam ingressus sese revelat Messiam praenuntiatum et *προγεγραμμένον* per singula quasi momenta. (IV—X).

d. Per singula pariter momenta describitur oppositio inter spiritum Christi et spiritum depravatum Judaismi, ut clarissime appareat, quomodo regnum Dei locum non inveniat aliamque ingrediatur viam, per parabolas declaratam. (XI—XIII.)

e. Ecclesia veteri relicta succrescit nova a fundamento Petri usque ad potestatem apostolicam et consilia evangelica, quae sunt vitae Christianae quasi culmina. (XV—XX).

f. Quomodo Ecclesia Judaica Salvatoris benedictione indigna judicium ejus incurrat cum universo mundo, per partes accurate descriptum est. (XXI—XXV.)

g. Passio Domini in Matthaeo revera ut *maledictum legis* apparet; simul autem ut destructio theocratiae a fundamentis (XXVI—XXVII.)

h. In fine Evangelii ostendit nobis Matthaeus Synagogam (Judaismum) penitus delusam et evacuatam, dum Apostoli emittuntur ad fundandam ordinandamque Ecclesiam. (XXVIII.)

i. Denique facile est observare, Prophetias ex V. T. allatas non solum ad personam Messiae pertinere, sed aeque ad Ecclesiam antiquam et novam.

4. Itaque ideam principalem hujus Evangelii sic exprimere licet: Repraesentat nobis Messiam Ecclesiae antiquae promissum, qui non venit Legem et Prophetas solvere, sed adimplere. Sed a Judaeis pertinaciter rejectus ex Salvatore mutatur in judicem, et Theocratia

penitus evertitur et ipsum Messiam pro gloria ipsi debita maledictum Legis et ultima abjectio manet. Sed quemadmodum ipse ex humiliatione gloriosus resurgit et omnem potestatem capessit in coelo et in terra, ita ex ruina Ecclesiae Veteris *Novam* sibi excitat in omnibus gentibus 1).

§. 13.

Evangelii integritas, genuinitas, fides.

Majus omnibus nobis est testimonium Ecclesiae, quae nullo non tempore hoc Evangelium ut Matthaei possedit, custodivit ac tradidit; nec minoris momenti sunt nobis testimonia singula virorum ecclesiasticorum, quae nulla unquam critica *vera* evertere potuit aut poterit. His praemissis objectiones quasdam contra genuinitatem, fidem etc. breviter tangemus.

1. Aliquamdiu genuinitas Capitum I. et II. impugnata est ex rationibus externis et internis:

a. quod abessent in exemplaribus quorundam haereticorum. — Ex quo non sequitur, ea abfuisse in Evangelio genuino.

---

1) 1. *Die Offenbarungsgeschichtliche Bedeutung dieser Idee:* Die erste und nothwendigste Orientirung des Christenthums war die gegen das Judenthum, und da wieder die Fundamentalfrage: Wie kommt es, dass die Theokratie *untergeht*, anstatt im Messias ihre Verherrlichung zu feiern? Dass die alte Kirche untergeht, anstatt in der neuen aufzugehen? — Diess Räthsel löst der Evangelist an der Geschichte des Messias selbst; diess Resultat erscheint als ein unvermeidliches, innerlich nothwendiges. Es ist das Orakel, das erklärende Wort des Geistes vor jener ungeheuren Tragödie des Sturzes der Theokratie und der heiligen Stätte! — 2. *Patrizi* sagt, das Evangelium des Matthäus sei „nequaqum ἱστορικὸν sed ἐλεγκτικόν"; er wolle beweisen, Jesus sei a) filius David; b) der Messias. — Sehr mangelhaft. — *Adalb. Maier:* Aus dem Zusammentreffen (der Geschichte Jesu mit dem alttestamentlichen Messiasbilde) den überzeugenden Beweis zu führen, dass Jesus wirklich der im alten Bunde verheissene und von den Juden erwartete Messias sei . . . . Zugleich Grundzüge der Sittenlehre etc. (§. 11). — Noch unbestimmter *Reithmayr* (§. 56): der Zweck wäre nur die Fixirung des κήρυγμα — darin wohl der Satz: Jesus sei der Christus, zugleich aber Einweihung in das Wort des Herrn, in die Geheimnisse seines Reiches aus seiner Offenbarung etc.

b. Ex pugna cum Luca; — quae tamen non est.

c. Ex indole miraculosa etc.; sed dicimus, aut omnia aut nulla in Evangelio miracula esse agnoscenda.

Contra genuinitas horum Capitum efficitur ex rationibus internis et externis multo fortioribus:

a. Indoles eorum eadem est ac totius Evangelii, imo totius fundamentum struit.

b. Ignatius, Justinus, Irenaeus res in ipsis narratas testantur; continentur porro in omnibus exemplaribus, versionibus etc. cf. Hug, Maier, Patritius.

2. Imo totum Evangelium Matthaeo abjudicatum est tum propter materiam tum propter formam

a. Contradicere Papiae, qui testatur, Matthaeum scripsisse *τὰ λόγια;* nostrum proinde Evangelium, quod non solum sermones sed et res gestas continet, posteriori tempore fuisse conscriptum. (Sic Schleiermacher.) — Sed Papiae *τὰ λόγια* sive *σύνταξις τῶν λόγων* = est *τὰ λεχθέντα ἢ πραχθέντα*, ut videre est in iis, quae de Marco testatur.

b. Judaismo nimium indulgere Evangelium et eo tendere, ut Petrum caeteris Apostolis, Judaeos gentibus praeferat, proinde non esse ab Apostolo sed seriori aevo productum; — quae falsissima sunt et Evangelio contradicentia.

c. Evangelium neque narrandi modo, neque ordine prodere testem ocularem, proinde indignum esse Apostolo. (cf. Sepp, qui istud vindicat diacono Philippo, qui Act. 21. *Εὐαγγελιστής* dicitur. Objectio plane futilis!)

3. Quodsi Matthaeus est Evangelii auctor, tunc *fides et auctoritas* satis stabilita est. Quae contra solent afferri ex defectu *τῆς ἀκριβείας*, ex contradictionibus cum reliquis Evangelistis etc., aut omnino non sunt, aut facile sunt concilianda, aut minoris momenti, quae ex consilio Evangelistae aut ex incuria scriptoris sunt declaranda. Tota indoles est admodum artificiosa et magnifica, plane digna auctore inspirato; in singulis tamen quaedam humanae infirmitatis deprehendas. Quemadmodum stultum esset, hoc negare, ita impossibile, illud non confiteri et admirari.

Caput II.

Evangelium secundum Marcum.

§. 14.

S. Marcus ejusque Evangelium juxta s. Scripturae Veterumque testimonia.

1. Nomen quod attinet, in s. Scriptura eundem legimus modo *Joannem Marcum* (Act. 12, 12. 25; 15, 37), modo *Joannem* (Act. 13, 5. 13), modo *Marcum* (Act. 15, 39; Col. 4, 10; I. Petr 5, 13); eundemque modo adjutorem *Pauli* (Act. 13; Col. 4, 10; II. Tim. 4, 11); modo filium et comitem *Petri* (I. Petr. 5, 13). Sed cum duplex nomen ejusdem personae non raro occurat (*Ἰωάνν. ὁ ἐπικαλούμενος, ἐπικληθεὶς Μάρκος*, Act. 12, 12. 25; velut Ἰωσῆς ὁ ἐπικληθεὶς *Βαρνάβας*, Act. 4, 36); nilque obsit, quominus eundem et Petro et Paulo affuisse credamus, nihil etiam est, cur Joannem a Marco et adjutorem Pauli et sectatorem Petri distinguamus. — Is primo in s. Scriptura commemoratur Act. 12, 12, ubi legimus, Petrum ab angelo e vinculis liberatum venisse in domum Mariae, matris Joannis, qui cognominatur Marcus. Idem a Paulo (Col. 4, 10) nominatur consobrinus Barnabae, et a Petro filius, sensu scil. spirituali, sicut e. gr. Timotheus est filius Pauli. — Cum Paulus et Barnabas primum ab Antiochia Cyprum et in Asiam minorem proficiscerentur, Joannem habebant in ministerio, qui tamen a Perge Pamphiliae reversus est Hierosolymam (Act. 13, 5. 13). Post concilium Apostolorum, cum Paulus rursus inter gentes esset profecturus, Marcum comitem recusavit, quo facto Barnabas cum Marco Cyprum navigavit (Act. 15, 39. c. a. 51). Jam Marcus non amplius commemoratur usque ad ann. 63; eo enim anno Paulus ad Philem. v. 24. scribit: *Μάρκος, ... Λουκᾶς, οἱ συνεργοί μου*, et ad Coloss. 4, 10: „Salutat vos . . . Marcus, consobrinus Barnabae, de quo (*περὶ οὗ*) accepistis mandata; si veneri ad vos, excipite illum.“ Ex quo discimus, Marcum tunc temporis Romae fuisse cum Paulo, profecturumque in Orientem. — Anno circiter 64. Petrus de eodem scribit ad fideles Asiae minoris: „Salutat vos ἡ

ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ et Marcus filius meus“ (I. Petr. 5, 13). Quae epistola cum juxta Veteres *Romae* (quae est tropice Babylon) conscripta sit, patet, eo tempore Marcum ex Oriente Romam rediisse et ibidem Petro affuisse. Postea iterum in Orientem abiit ibique moratus est, cum Paulus altera vice Romae esset in vinculis; scribit enim ad Timotheum (II. Tim. 4, 11): „Lucas est mecum solus; Marcum assume et adduc tecum; est enim mihi utilis in ministerium“ (c. ann. 67). De reliquis ejus factis et fatis nil certi constat, nisi quod post conscriptum Evangelium Alexandriae in Aegypto Episcopatum fundaverit, quod quo tempore factum sit, dubitatur.

Nota. Historia Marci ac s. Petri eidem implicata plurimis laborat difficultatibus criticis. Quo facilius solvantur, sequentia proferimus: 1. Cl. Patritius contra plurimos hujus aevi criticos distinguit Marcum Pauli et Petri. Rationes vero ex parte non sunt nisi chronologicae combinationes; inter alia Marcum jam anno 42. Alexandriae mortuum commemorat, ejusque successorem Anianum fuisse scribit. — 2. Nomine *Babylonis* plurimi Asiae urbem ita dictam intelligunt; ast non solum internae ipsius epistolae rationes Romam significari postulant, sed etiam in Apocalypsi Roma evidenter eodem nomine appellatur. Insuper Eusebius (h. e. 2, 15) scribit: *συνεπιμαρτυρεῖ δὲ αὐτῷ* (Clementi Alex.) *καὶ ὁ Ἱεραπολίτης ἐπίσκοπος Παπίας, τοῦ δὲ Μάρκου μνημονεύειν τὸν Πέτρον ἐν τῇ προτέρᾳ ἐπιστολῇ, ἣν καὶ συντάξαι φασὶ* (sc. Clemens et Papias) *ἐπ' αὐτῆς Ῥώμης, σημαίνειν δὲ τοῦτ' αὐτόν, τὴν πόλιν τροπικώτερον Βαβυλῶνα προςειπόντα. λ.* Et s. Hieronymus: „Et Papias meminit hujus Marci, et Petrus in epistola prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans“ (catal. script. eccl. c. 8). Sic ergo habemus testimonia Papiae, Clementis, Eusebii et Hieronymi contra criticos novaturientes.

2. Huic ergo Marco traditio Ecclesiae secundum inter Evangelia nostra adscribit. Hujus traditionis testimonia antiquiora et nobiliora afferemus.

a. *Papias* (apud Euseb. h. e. 3, 39): *καὶ τοῦτο ὁ πρεσβύτερος ἔλεγε· Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν· οὐ μέντοι τάξει, τὰ ὑπο*

τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα, οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ κυρίου, οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ, ὕστερον δὲ ὡς ἔφην, Πέτρῳ, ὃς πρὸς τὰς χρείας ἐποιεῖτο τὰς διδασκαλίας· ἀλλ᾽ οὐχ᾽ ὥσπερ σύνταξιν τῶν κυριακῶν ποιούμενος λόγων etc.

Nota 1. Eusebius (loco cit.) Papia auctore utitur, Marcum Evangelium suum *Romae* scripsisse.

Nota 2. Hic igitur sistitur Marcus a) ceu interpres Petri, b) qui dicta factaque Domini nostri ex ore Petri, uti res postulavit, conscripsit; c) non vero *τάξιν* vel *σύνταξιν* i. e. ordinem strictum vel coordinationem intendit; d) tandem hoc testimonium etiam Joannem Presbyterium habet auctorem.

b. Testimonium indirectum reddit *Justinus* M., qui ex memorabilibus Apostolorum aut discipulorum inter alia haec affert: *ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ πανθήσεται καὶ τὸ πῦρ αὐτῶν οὐ σβεσθήσεται* (Apol. II. p. 87. cf. Marc. 9, 48) ibid. p. 333 filios Zebedaei a Domino vocatos esse *βοανεργές, ὅ ἐστιν υἱοὶ βροντῆς* (Marc. 3, 17).

c. *Irenaeus* (contr. haer. l. 3, c. 1), postquam de Matthaeo locutus est, qui scripserit Petro et Paulo Romae evangelizantibus, sic pergit: *μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε.* — Et haer. 3, 10. 6: Quapropter et Marcus interpres et sectator Petri initium evangelicae conscriptionis sic fecit: Initium Evangelii Jesu Christi filii Dei . . . . in fine autem Evangelii ait Marcus: et quidem Dominus Jesus postquam locutus est eis, receptus est in coelos, et sedet ad dexteram Dei.

Nota. Alter iste locus, quamvis nonnisi aenigmatice, tempus definit, et quae Papias de hujus Evangelii conscriptione dicit, ob oculos ponit; in altero Evangelii initium et finis habetur.

d. *Clemens Alexandr.* (Euseb. h. e. 6, 14) tradidit, Marcum a multis Romae rogatum fuisse, ut, quae ab Apostolo praedicata erant, conscriberet; composuisse igitur Evangelium et rogantibus tradidisse; quod cum Petrus comperisset, neque

omnino cohibuisse, neque incitasse (*προτρεπτικῶς μήτε κωλῦσαι μήτε προτρέψασθαι*). Sed alio loco dicit Eusebius, Petrum delectatum hominum studio librum comprobasse (*κυρῶσαι*), et apponit: Clemens sexto *ὑποτυπώσεων* libro continet historiam (Euseb. h. e. 2, 25).

e. Huic maxime consonat *Hieronymus* (script. eccl. c. 8): Marcus discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus breve scripsit Evangelium. Quod cum Petrus audisset, probavit, et Ecclesiis legendum sua auctoritate edidit; sicut Clemens in sexto *ὑποτ.* libro scribit.

Eadem plane *Origenes*, *Eusebius*, *Epiphanius* tradunt; quae non opus est commemorare. Qualem auctoritatem Veteres huic Evangelio tribuerint, testatur:

f. *Tertullianus* (adv. Marcion. IV, 5): Marcus quod edidit Evangelium, Petri affirmatur, cujus interpres Marcus. Nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent.

§. 15.

Ubi, quibus et quo tempore Marcus scripserit.

1. Quotquot ex Veteribus de loco scriptionis aliquid habent, Romam commemorant, ubi Petrus Evangelium praedicabat et Marcus velut interpres ipsi assistebat.

Nota 1. *Interpres*, *ἑρμηνευτὴς* (Petri), quo nomine Marcus passim a Veteribus adpellatur, non solum in sensu strictiori adhibetur, sed omnis ita dici potest, qui dicta vel scripta alterius exponit, difficultates solvit etc.

Nota 2. S. Chrysostom. (hom. I. in Matth.) dicit, Marcum in Aegypto suum scripsisse Evangelium.

2. Primitivi lectores, ut ex libro ipso patet, non erant fideles ex Judaeis, sed ex gentibus; id quod cognoscitur ex *omissione* plurimorum, quae Judaeos proxime tangunt; ex *interpretatione* rerum et vocum Judaeis notissimarum, e. gr. 7, 2: *κοιναῖς χερσίν, τοῦτ᾽ ἔστιν ἀνίπτοις*; v. 11: *κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον*; 15, 42: *παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον*. Sunt *latini*, quod patet ex declarationibus et usu vocum latinizantium, e. gr. 12, 42: *δύο λεπτά, ὅ*

ἐστι κοδράντης vocabula *δηνάριον*, *κεντυρίων*, *κῆνσος*, *λεγέων* etc. hic saepius quam alibi in Evangeliis occurrentia. — Sunt denique *Romani*, quod ex indole totius Evangelii (ut videbimus) et ex Veterum traditione certum est.

Nota. Exinde nonnulli concluserunt, Marcum latine scripsisse; imo codex quidam Venetianus ab ipso Marco conscriptus putabatur (cf. Annal. Baron.), donec erueretur, in eodem latinam s. Hieronymi versionem contineri (vid. Ad. Maier §. 22). Roma indigitari saltem potest c. 15. v. 21: Simonem Cyrenaeum, patrem Alexandri et Rufi etc. Cf. Rom. 16, 13: Salutate Rufum etc.

3. Tempus aeque ac in Matthaeo accurate definiri nequit, sed cum aliqua verisimilitudine conjici tantum potest. Ex Veteribus scimus, Marcum medium scripsisse inter Matthaeum et Lucam, et omnes hos ante excidium Hierosolymorum. Caeterum Clemens Alex., qui Marcum vivo Petro scripsisse tradit, et Irenaeus, qui eum *μετὰ τὴν τῶν Ἀποστόλων ἔξοδον* affirmat Evangelium scriptum tradidisse, sibi videntur contradicere, nisi forte sic conciliandi sint, quod Marcus quidem scripserit vivo Petro, publici juris autem fecerit librum demum post ejus mortem. — Si vero Marcus scripsit Petro Romae praesente, quaeritur, quo tempore hoc fuerit? Eusebius indigitare videtur primam Petri praesentiam sub Claudio (anno circ. 43), cui consonat traditio serioris aevi. Quod verosimilè non est; eo enim tempore Marcus potius Paulo quam Petro adhaesisse videtur. — Forsan decennio sexto, aliquo tempore ante epistolam Pauli ad Rom. (anno 58), sed eo tempore Petrus Romae fuisse non videtur. — Maxime vero simile est, Evangelium scriptum circa annum 64; quo et Petrum et Marcum Romae fuisse ex I. Petr. 5, 13. colligimus.

Nota. Nonnulli annum post ascensionem 12. vel 13. assignant. Novissime vero cl. Patritius et Reithmayr annum 43. defendunt. Hic Marcum Perge reversum Petrum secutum fuisse docet; ille duos distinguit Marcos. Ast Evangelium Marci evidenter, ut ita dicam, gaudet *charactere gentili-christiano*. Quod cum juxta traditionem sit speculum praedicationis Petri, quomodo Paulus tempore concilii Apostolorum Petrum adpellare potest *ἀπόστολον περιτομῆς*? cf. Gal. 2, 7. Ultimo

Claudii vel primo Neronis tempore Petrus Antiochiae, non Romae fuisse videtur (Gal. 2, 11 sqq.); pariter, si Petrus vix decennio prius publice praedicasset, doctrina christiana Judaeis Romae degentibus tam ignota vix fuerit, ac Act. 28. adstruitur. — Petrum autem et Marcum anno 64. Romae fuisse, documento firmatum est. Si quaeritur, quomodo doctrina a Petro tradita tempore, quo in Urbe jam plurimi aderant Christiani, tam nova adparere potuerit, ut Marcum ad conscribendum istud Evangelium rogitarent, respondemus, verba principalis testis ocularis certe tanti fuisse momenti, ut auditores eadem collecta optare debuerint; insuper notandum est, a Paulo Christum non modo, ut ita dicam, historico-practico, uti a Petro, annuntiatum fuisse. Cl. Adalb. Maier, qui Marcum post mortem Apostolorum ac tertium scripsisse putat, vix non fallitur. Insuper quae Marcus Alexandriae gesserit, silentio praetereuntur, et hoc temporis spatium difficillime definitur. V. La Cattedra Alessandrina di S. Marco Ev. e Mart. conservata in Venezia, dal P. G. Secchi d. C. d. G. Venezia 1853.

§. 16.

Argumentum Evangelii Marci.

1. Argumentum hujus Evangelii in se consideratum dividi potest in introitum et tres partes.

Introitus (I, 1—13)

breviter commemorat, quae vitam publicam Salvatoris proxime antecedunt: praedicationem Joannis, Christi baptismum et tentationem.

Pars prima (I, 14 — VI, 13)

continet revelationem Christi inter Judaeos eorumque resistentiam.

Pars altera (VI, 14 — IX)

Christi secessum et revelationem esotericam i. e. inter suos seorsum.

Pars tertia (X — XVI)

Christi iter in fines Judaeae, ultima ejus fata.

2. Ad materiam facilius conciliandam cum caeteris Evangeliis pars Ima et IIda ceu una considerari potest, Christi vitam publicam in Galilaea complectens.

§. 17.

De Marci consilio et de indole ejus libri.

1. Nec Marcus consilium suum usquam palam enuntiavit; proin ex indole libri ipsius erui debet. Consilium *generale* jam absque dubio hoc est, historiam dictorum factorumque Christi componere, ut in Matthaeo; et pragmatismus, ut ita dicam, historicus in eo magis elucescit, quia ordinem chronologicum accuratius servavit, quam Matthaeus, etsi non semper et ubique (cf. I — IX. cum parte prima Matth. et Luc. III — IX.). Attamen et ipse in brevissimo suo libro non omnia de Domino conscripsit, sed ea maxime, quae Petrum ad doctrinae usum narrantem audierat; proinde etiam in Marco praeter scopum generalem etiam *specialem*, praeter historicum etiam didacticum seu *dogmaticum* inquirere debemus.

2. Qualis iste sit, ex hisce libri notis colligere possumus.

a. Exordium Evangelii sic habet: Initium Evangelii Jesu Christi *Filii Dei*.

b. Finis autem est; Glorificatio Domini Jesu sedentis ad dexteram Dei, praedicatio fidei per Apostolos et cooperatio Domini sequentibus signis.

c. Relationem Domini ad Ecclesiam tum antiquam tum novam non ut apud Matthaeum diligenter exaratam sed magis neglectam seu sepositam deprehendimus.

d. Contra vero, gloriam et potentiam Domini, quae omnem creaturam excedit, quam maxime elucescere et coruscare videmus.

e. Item ex parte subjectiva i. e. hominum susceptionem revelationis supernaturalis i. e. *fidem* vehementer intentam conspicimus, ejus necessitatem, originem, incrementum, consummationem cognoscimus.

f. Haec omnia magis per facta quam per sermones expressa sunt.

3. Ex quibus licet concludere, Marcum sibi posuisse scopum altiorem et latiorem, quam Matthaeum; minus enim relationem Christi *historicam ad Ecclesiam* depingit, quam relationem *supernaturale ad creaturam universim*. Filium Dei nobis ostendit revelantem sese creaturis, ut omnem creaturam evehat ad fidem supernaturalem. Hic

scopus *gentibus* magis convenit, quippe quae nihil supernaturale agnoscebant. Quod autem facta magis quam doctrinam refert, hoc *Romanis* prae caeteris conveniens erat, utpote populo operibus summopere potenti.

Nota. Minime casu aliquo, sed divina plane providentia factum est, ut istud Evangelium huncce occupet locum atque hanc prae se ferat formam. Exinde enim revelationis historia et religionis christianae fundatio mirum quantum fulcitur. Etiam Evangelium, tam ore traditum, quam scripto exaratum, jure merito primum Judaeis — populo electo — postea demum, quum Synagoga id recusasset, gentibus fuit annuntiatum. Quemadmodum vero tunc temporis *Roma gentilis* totius Orbis erat metropolis, ita quoque *Ecclesiae Romanae* erat, „praeesse foederi charitatis“, cunctis dominari ecclesiis ex gentibus, et eo ipso *principalem* esse Ecclesiam totius orbis terrarum. Oportuit igitur, ut Apostolorum *princeps* Petrus Evangelium in *Urbe* praedicaret, cui Marcus adfuit in ministerio socius et mediator. Exinde patet, necessarium fuisse, ut Evangelium, quo facilius id caperent ac per id caperentur, *ethnico-christianum* et in certo sensu *romanum* indueret characterem. Gentibus autem prae caeteris ipsum doctrinae christianae *fundamentum*, rerum supernaturalium et revelationis idea ejusque organum = *Fides* penitus erat ignota. Hinc praecipue ista idea fuit excitanda, qua Christum tanquam Dei Filium, supra omnem creaturam elevatum omnique dominantem ob oculos haberent, et tali modo *fidem* i. e. supernaturalium cognitionem practice adipiscerentur. Cum vero Romani neque subtili dialectica pollerent, neque facile per verba animo moverentur, sed *opere* essent potentes, revelatio Christi per Ejusdem *opera* multo efficacior esse debuit. Reapse universalis et cuncta terrena excedens Christi magnitudo, quam Ejus facta palam ostendunt, Evangelium erat Romanis aptissimum; quippe quae sat potens fuit fortem pectoribus inserere fidem, quae, postquam Romae egerat radices, in universum diffunderetur Orbem.

§. 18.

Evangelii s. Marci genuinitas, integritas, fides.

1. Ecclesia semper et ubique librum, quem nos Marci nomine habemus, ut genuinum habuit, nec alium antiquissimi testes cognoverunt. Recentissima demum critica detexit, librum, quem Papias Marco adscribit fuisse alium, quam nostrum. Papias enim ait, Marcum non ordine „οὐ τάξει" — scripsisse verba et opera Christi; cum jam liber noster absque ordine compositus non sit, ergo diversum esse ab illo (Sic Schleiermacher in Introd.). Sed „οὐ τάξει" non cujuscumque generis ordinem excludit, ut fuerit plane rudis indigestaque moles; sufficit assumtio, librum Marci non omnia dicta factaque Domini continere, nec *una continua* serie. — Item dicunt: Marcum juxta Papiam non scripsisse historiam sed quae Petrum πρὸς τὰς χρείας τῆς διδασκαλίας afferentem audierat, veluti homilias et similia; librum ejus ergo non fuisse historicum sed didacticum. — Verumtamen num doctrina excludit historiam? nonne essentialiter est historica — evangelium, κήρυγμα, testimonium? Apostoli praedicantes Christum nonne semper et ubique ejus historiam supponebant?

2. Majori cum verisimilitudinis specie impugnantur versus XVI, 9—20. Quaedam enim documenta antiqua (e. gr. cod. B, nonnulla mscpt.) hanc pericopen non habent; quaedam dubie (cod. A absque numeris Eusebianis). Eusebius (ad Marinum quaest. I.) dicit, τὰ ἀκριβῆ τῶν ἀντιγράφων, et paene omnia in fine habere: ἐφοβοῦντο γάρ; quae sequuntur, „σπανιῶς ἐν τισί, ἀλλ' οὐκ ἐν πᾶσι" contenta, superflua videri posse (περιττὴ ἂν εἴη), et maxime, quod *contraria* caeteris Evangeliis testarentur. *Hieron.* (ad Hedib. q. 3): „Marci testimonium, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Graciae libris paene hoc capitulum in fine non habentibus, praesertim cum *diversa et contraria* evangelistis caeteris narrare videatur etc. — Sed rationes internae et externae hanc pericopen genuinam esse ostendunt. ἐφοβοῦντο γάρ v. 8. utique finis Evangelii esse non potuit; ubi igitur finis? — *Irenaeus* antiquior Eusebio et Hieronymo testatur: „Marcus in fine Evangelii" ait: „Et quidem Dominus Jesus" etc. Nec Eusebius et Hieronymus hanc pericopen in omnibus, sed in pluribus abesse

dicunt. Longe plura documenta, quae nos habemus, hos versus continent, inter quae et versiones, quae Eusebium et Hieronymum praecedunt. — Denique hi ipsi rationem indigitant, cur isti versus sint omissi, videlicet quod *contraria* caeteris continere *videbantur*; cum e. gr. Marc. 16, 9 habeat: *ἀναστὰς δὲ (ὁ Ἰησοῦς) πρωῒ πρώτῃ σαββάτου*, Matth. autem (28, 1): *ὀψὲ δὲ σαββάτων* etc.

Nota. ὀψὲ σαββάτου plerumque explicatur per „post sabbatum", cum scil. Dominica jam illucesceret.

3. *Fidem* hujus Evangelii quod attinet, Marcus utique ipse Domini comes non fuit, uti Matthaeus et Joannes; attamen Petrum auctorem habuit, et traditionem communem diligentissime secutus est, quod colligere licet ex ejus cum Matthaeo consonantia.

Nota. Marcus ubique ab ore et imagine Petri pendet: simplex, impiger, alacer, fortis. Mira quidem Matthaeum inter et Marcum similitudo observatur, quae tamen facilius explicatur per usum *similium traditionum*, quam ipsius Evangelii a Matthaeo conscripti; negari enim non potest, plura in Marco non esse tam perspicua ac in Matthaeo, quod secus se haberet, si Matthaei Evangelium ob oculos habuisset.

Caput. III.

Evangelium secundum Lucam.

§. 19.

S. Lucas ejusque Evangelium ex s. Scriptura Veterumque traditione.

1. *Lucas* (secundum Eusebium et Hieronymum) domo Antiochenus, arte medicus fuit, quod et s. Paulus confirmat, scribens ad Coloss. 4, 14: Salutat vos Lucas medicus charissimus. Ex eodem Pauli loco (v. 11) Lucas non „ex circumcisione" fuisse videtur, sed gentilis; etsi Evangelium eundem et linguae et morum Hebraeorum optime gnarum ostendit. Jam Antiochiae Paulo Apostolo adhaesisse videtur, apud quem exinde per magnam vitae partem permansit. Primum enim eum secutus

est a Troade in Macedoniam proficiscentem, et ibidem Philippis remansit, Paulo Athenas et Corinthum petente (Act. 16, 11; 17, 1) circa annum 52. Cum Apostolus post 6 circiter annos Hierosolymam iter faceret, Lucas Philippis eidem se adjunxit (20, 6), et cum esset in vinculis tum in Judaea (58 — 60) tum in itinere et deinde Romae apud eum permansit (60—63), ut ex Pauli epistolis hujus temporis patet. Similiter in altera captivitate Romae cum Paulo commoratus est (II. Tim. 4, 11: Lucas est mecum solus). Quid post Apostoli mortem ei acciderit, certo non constat.

Nota. Origenes et Epiphanius Lucam e 72 discipulis fuisse narrant, quod vero contradicit Evangelii initio, quo sese non testem ocularem (*αὐτόπτην*) adpellat, sed (ab aliis) omnia a principio assecutum esse dicit. Ex mente Epiphanii postremo in Gallia, Dalmatia et Macedonia praedicavit. Etiam Achaja commemoratur. S. Hieronymus scribit, eundem sub Constantino cum b. Andrea Constantinopoli fuisse sepultum. Nicephorus tandem (H. E. II, 43) b. Lucam et pictorem fuisse memoriae tradidit.

2. Quod ipse sit auctor Evangelii, ipse etiam testatur, dum Act. 1, 1 *τὸν πρῶτον λόγον* commemorat; omnia igitur, quae Lucam auctorem Actuum ostendunt, eundem etiam Evangelii auctorem affirmant. Testimonium indirectum reddit *Justinus Mart.*, dum ex *ὑπομνημονεύμασιν* plura affert, quae Lucas solus narrat, e. gr. de nativitate Christi tempore descriptionis sub Quirino cum iisdem circumstantiis, quae cap. II. narrantur; de sudore sanguinis; de ultima ejus oratione: Pater, in manus tuas etc.

Irenaeus (haer. l. 3. c. 1): *Λουκᾶς δέ, ἀκόλουθος Παύλου, τὸ ὑπ᾽ ἐκείνου κηρυσσόμενον εὐαγγ. ἐν βιβλίῳ κατέθετο.* ibid. c. 4. plurima profert, quae huic Evangelio sunt peculiaria, et quidem sub Lucae nomine. — Cum Marcion saec. II. hoc Evangelium pluribus locis corrupisset, *Tertullianus* eum energice debellavit. — De sequentibus sufficit afferre: *Hieronymum*, qui (script. eccl. c. 7) de hoc ita scribit: „Lucas medicus Antiochensis, ut ejus scripta indicant, graeci sermonis non ignarus fuit, sectator Apostoli Pauli et omnis ejus peregrinationis comes. Scripsit Evangelium, de quo idem Paulus: Misimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio (II. Cor. 8)...

Quidam suspicantur, quotiescumque Paulus in epistolis suis dicit „juxta Evangelium meum“, de Lucae significare volumine“ etc.

Nota. Haec et alia similia, e. gr. quae superius in Marco protulimus e Tertulliano, ostendunt, Evangelium Lucae ad b. Paulum in eadem prorsus relatione fuisse, ac Evangelium Marci ad Apostolorum principem.

§. 20.

Quo tempore, quo loco et quibus Lucas scripserit.

1. Lucam non primo sed seriori tempore scripsisse, jam ex eo patet, quod ipse in exordio dicit, jam *multos* conatos esse de hisce rebus scribere. Sed aliquid accuratius definire licet, cum ex Veterum traditione Lucas tertio loco scripserit. Cum jam, ut vero simile est, Marcus Evangelium suum circa annum 64. exaraverit, Lucam post hunc annum scripsisse sequitur. Sed non multo serius, cum et ipse non solum Evangelium sed et Actus Apostolorum ante excidium Hierosolymae compleverit, et Evangelium quidem ante Actus. Haud multum igitur erraverimus, si hunc librum circa annum 65. aut 66. compositum dixerimus.

2. De loco scriptionis traditiones non conveniunt, aliis Alexandriam (et 15. post ascensionem Christi annum!!), aliis Italiam, aliis alia affirmantibus. Communior videtur sententia *Hieronymi* (praefat. in Matth.): „Lucas in Achajae Boeotiaeque partibus volumen condidit“. Neque vero absimile est, Lucam cum Paulo e captivitate liberato Italiam reliquisse et dum iste tum in Oriente tum in Graecia tempus ageret, Evangelium in Graecia composuisse.

3. Lucas Evangelium suum ad *Theophilum* quendam direxit (prooem.). Qui, cum Lucas eum epitheto κράτιστον appellat, nobilioris conditionis homo fuisse videtur (de hujus epitheti usu cf. Act. 23, 26; 24, 3; 26, 25). Hunc fuisse ex gentili Christianum, ex libro certe colligere possumus; sed aliquid certius de eo nescimus. — Sed per se patet, Evangelistam non hunc solum respexisse, sed *Christianos ex gentibus* universim; et inter hos maxime *Graecos*, ad quos et Pauli Apostoli praedicatio maxime facta est. Hoc ex indole totius libri eruitur; hoc etiam *Hieronymus* (ep. 20. ad Damasum) dicit: Lucas, qui inter

omnes Evangelistas graeci sermonis eruditissimus fuit, . . . et qui Evangelium *Graecis* scripserit etc.

Nota. De Theophilo tum veteres tum hodierni scriptores diversa edisseruerunt, quin rem acu tangere potuerint. Jam Epiphanius indigitat, nomen istud πάντι ἀνθρώπῳ Θεὸν ἀγαπῶντι competere, quam opinionem et cl. Reithmayr ratam habet. Attamen talis fictio seu potius inanis figura rhetorica a spiritu apostolico toto coelo distat. — Alii eundem *Alexandrinum* (Lexicogr. saec. X.), vel *Antiochenum* (Recogn. Clementis X, 71) fuisse autumant; ast in neutra harum ecclesiarum firma hujus opinionis traditio invenitur. Cl. Hug et Adalb. Maier ex eo, quod in Evangelio ac in Actibus nonnulla de locis et rebus occurrunt vel desunt, concluserunt, eundem verosimiliter ex Italia vel Graecia magna fuisse oriundum.

§. 21.

Argumentum Evangelii s. Lucae.

Respectu tum interno i. e. dispositionis ab Evangelista ipso intentae, tum externo — relate ad caeteros Evangelistas, materia hujus Evangelii dividi potest in duplicem introitum et tres partes.

Introitus prior (I. II.)

historiam nativitatis et infantiae Christi continet;

introitus posterior (III — IV, 13)

ea, quae vitam publicam Christi immediate praecedunt, Baptistae praedicationem, baptismum, generationis catalogum et tentationem Christi.

Pars prima (IV, 14. — IX, 50)

vitam publicam Christi in Galilaea pandit, et in hac evolutionem revelationis a Christo factae maxime externam cum funesto suo successu.

Pars altera (IX, 51. — XVII, 10)

duas peregrinationes Christi Hierosolymam verosimiliter ad festum tabernaculorum et encaeniorum, et in his evolutionem revelationis maxime *internam*, dialecticam; ejus cum spiritu hujus saeculi pugnam et de eo triumphum.

Pars tertia (XVII, 11. — XXIV.)

ultimum Christi iter Hierosolymam et ultima ejus fata continet.

§. 22.

De consilio Evangelii s. Lucae.

1. De consilio *generali* operis evangelista ipse nos edocet, dum in prooemio (1, 1 — 4) dicit: Cum multi conati sint rerum istarum ordinare narrationem, et sibi visum esse omnia diligenter assecuto, Theophilo ex ordine scribere, ut perspiciat eorum verborum, quibus eruditus sit, veritatem. Quibus verbis simpliciter officium scriptoris historici profitetur, cujus est, a) diligenter perscrutari fontes, b) res enarrare *καθεξῆς* i. e. ordine chronologico, c) denique stabilire τὴν ἀσφάλειαν i. e. fidem certissimam.

Nota. Praeclarissimum prooemium, de quo jam multi scripsere, duo paucis exhibet: 1) Communem christiani historiographi rationem (den allgemeinen Standpunkt), qua explicatur, cur etiam Lucas scripserit; 2) specialem Evangelistae rationem. Ad 1) a. Suppositio est traditio ore facta τῶν αὐτοπτῶν et ministrorum verbi, quae est momentum *principale;* b. exinde prodiit historiographia christiana tanquam momentum *secundarium,* et in hac historiographia jam multi praeiverunt: „multi conati sunt ordinare narrationem" etc.; c. hisce jungitur Lucas. Ad 2) a. Ipsius *suppositio* est diligentissima omnium inquisitio ab initio; b. ejusdem *methodus* dici potest objective historica h. e. rerum seriem nectit; c. *finis* tandem is est, ut certum reddat Theophilum de his, quae jam oretenus doctus fuerat.

2. Sed nec ipse Lucas *historiam completam* Domini componere voluit; quod facile depromere possumus tum ex libri indole tum ex verbis prooemii: „ut cognoscas *eorum verborum, quibus eruditus es, veritatem*". Praeter consilium generale igitur *speciale* inquirendum est, seu quid maxime Lucas sibi elegerit e Domini vita, doctrina et operibus enarrandum? Jam quemadmodum Marcus *Filium Dei* nobis descripsit, ita Lucam *Filium hominis* describere dicendus est, i. e. Christum humiliter descendentem ad homines eorumque indigentias; ipsum induentem quidquid est humanae infirmitatis et miseriae, ut omnes homines — Judaeos et Graecos — benignitatis et humanitatis

divinae (χρηστότης καὶ φιλανθρωπία τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. Tit. 3, 4) participes efficeret; item ex parte subjectiva i. e. hominum: *susceptionem gratiae* et vitam gratiae a suis radicibus usque ad consummationem.

3. Hanc esse primariam intentionem Evangelii, ex singulis ejus partibus facile demonstrari potest.

a. Historia infantiae quid est, nisi imago vividissima Filii Dei sese exinanientis, formam servi accipientis — et aurora gratiae humilibus orientis? (I. II.)

b. Priusquam vitam publicam ingreditur, liber generationis (III.) eum nobis ostendit non ut filium David et Abraham solum, velut Matthaeus, sed ut *filium Adam* i. e. revera filium hominis.

c. Vitam publicam revera incipit *evangelizando pauperibus* (4, 18); pergit impertiendo gratiam et misericordiam miseris omnis generis, praecipue peccatoribus (VII.); et hoc maxime opus ejus frustratur, quod Judaei gratiae et charitatis divinae sunt incapaces (IV — IX.).

d. Pars altera vitae publicae quid magis nobis ostendit, quam venisse Filium hominis quaerere et salvum facere, quod perierat? gratiam a superbis rejectam humilibus offerri, scilicet miseris, gentilibus, peccatoribus? (IX—XVII.)

e. Hoc ipsum pars tertia nos edocet, et in iis maxime, quae huic Evangelio sunt peculiaria, e. g. historia Zachaei, lacrimae super Jerusalem; sudor sanguinis, precatio Christi in cruce pendentis, promissio latroni facta etc.

f. Missio denique Apostolorum, praedicare *poenitentiam et remissionem peccatorum* omnibus gentibus.

4. In *hoc* maxime nexus apparet inter Paulum et Lucam. Quemadmodum Paulus praedicat *Evangelium gratiae* omnibus hominibus, Judaeo primum et Graeco: ita Lucas *historice* nobis describit Christum ut fontem et principium hujus gratiae

Nota. Internus hujus Evangelii cum prioribus nexus hic est: Matthaeus describit *Evangelium regni coelorum,* Marcus *Evangelium Filii Dei et fidei,* Lucas *Evangelium Filii hominis et gratiae — Evangelium peccatorum.* — Relatio Lucam

inter et Paulum haec est: Paulus dici potest *dogmaticus anthropologicus*, h. e. Evangelium ejusdem fundatur in homine, peccatoris Adami filio gratia indigente; Lucas id ipsum historice prosequitur et adpellari proin debet *historicus anthropologicus*.

§. 23.

Evangelii s. Lucae genuinitas, integritas, fides.

1. Uti jam audivimus, evangelista ipse in Actibus *τῷ πρώτῳ λόγῳ* testimonium reddit. Nec minoris momenti est argumentum *internum*, scilicet aequalitas styli, doctrinae etc., quae evidenter utrumque librum uni eidemque auctori adscribere cogit. Porro quod attinet materiam et formam, inter auctorem horum librorum et Paulum talis est connexio, quae discipulum et comitem Apostoli quavis fere pagina prodit. Quae argumenta per traditionem Ecclesiae nunquam interruptam ita confirmantur, ut dubio locus non relinquatur, Evangelium revera a Luca, discipulo et sectatore Pauli conscriptum et in Ecclesia integre conservatum fuisse. Quae testimoniorum firmitas causa fuit, ut hoc Evangelium etiam minus caeteris impugnaretur et objectiones adversariorum propria debilitate corruant.

Nota. Haec argumenta respectu linguae et rerum descriptarum a cl. Ad. Maier fuse tractantur. Novatorum critica, quae omnia sus deque vertit atque destruit, etiam Lucae non defuit. Quum scil. Veteres, nempe Irenaeus, Tertullianus et Epiphanius, narrent, Marcionem Evangelium Lucae circumcidisse seu deminuisse, quin etiam, quae per Marcionem dempta fuerunt, indigitent: istius critices asseclae Marcionis Evangelium ceu vere apostolicum salutarunt, Lucae autem librum tanquam corruptum et post Apostolorum tempora conscriptum respuerunt! (Sic Schleiermacher ejusque pedissequi). Sed quid dicamus de tanta impudentia, quae sine ulla ratione (praeter notum illud: Sic volo, sic jubeo) et contra firmissima argumenta talia monstra effutit? Jam cl. Olshausen apte respondit.

2. Integritatem quod attinet, de ea nunquam serio dubitatum est, nisi forte excipias defectum earum rerum, quae Matth. (14, 22.—15.)

et Marc. (6, 46. — 8, 10.) narrant; quam omissionem *Hug* incuriae descriptorum tribuere nititur.

Nota. Tanta vero incuria vix non stupenda esset; praeterea nemo unquam in universa Ecclesia ejusmodi defectum detexit; in cunctis enim manuscriptis, versionibus etc. ne vestigium quidem occurrit eorum, quae omissa vel deperdita fuisse dicuntur.

3. Fides denique Evangelii omne dubium superat. Quamvis enim nec ipse Lucas testis ocularis fuit, tamen opus suum non est aggressus, priusquam „omnia ab initio diligenter assecutus esset". Porro Paulum Apostolum adeo secutus est, ut ejus Evangelium antiquitus non raro Paulo adscriptum fuerit. Denique comparatio cum reliquis Evangeliis fidem ejus confirmat; plerumque enim accuratissime cum eis consonat; et ea, quae videntur discrepare, facile sunt concilianda, et fidem augent.

Nota. B. Paulum ad ipsius Evangelium contulisse, luculentissimum habemus exemplum in historia de S. Eucharistiae institutione (22, 1 sqq. cf. I. Cor. XI.). Quae differunt Lucam inter atque Matthaeum et Marcum, plerumque in eo consistunt, ut alius alio fusius rem exponat; e. gr. unus obsessus, unus coecus loco duorum etc. Majoris momenti est differentia circa infantiam Jesu Christi et genealogiam. Qua ratione haec sint concilianda, videbis in Commentario. Pariter quaestio de Lucae fontibus, et in specie, utrum Matthaei et Marci Evangeliis fuerit usus, serius solvetur, ubi sermo injicietur „de reciproca relatione Synopticorum".

Caput IV.

Evangelium secundum Joannem.

§. 24.

S. Joannes ejusque Evangelium e s. Scriptura Veterumque testimoniis.

1. Joannes Zebedaei et Salomes filius, frater autem Jacobi majoris, piscator ad mare Galilaeum fuit. Primo Joannis Bapt. discipulus, hoc monstrante illico Dominum secutus est, et primus cum Andrea fidei lumen concepit (Joann. 1, 36—41). Postea a Domino discipulus vocatus, omnia cum patre reliquit, nec unquam exinde ab eo discessit. a quo denique inter Apostolos constitutus est (Luc. V. VI.). Inter Apostolos altiorem locum obtinuit, quippe qui cum Petro et Jacobo Domino arctissime conjungeretur et inter hos Domino amicissimus fuerit. Unde seipsum nuncupat „discipulum, quem diligebat Jesus" (13, 23; 19, 26; 21, 7. 20); in novissima coena supra pectus Domini recubuit, et juxta crucem Matrem Domini quasi testamento accepit. Post effusum Spiritum s. eundem inter primarios Ecclesiae propugnatores conspicimus. Ipse enim primus cum Petro ante synedrium sistitur; postea cum Apostolis flagellatur; cum Petro mittitur Samariam, et a Paulo inter columnas Ecclesiae numeratur (Gal. 2.). De posterioribus ejus fatis s. Scriptura paucula habet; supplet autem traditio. Testante enim Irenaeo in summa senectute Ephesi vixit usque ad Trajani tempora. Nec tamen imperturbata quiete; et ipse enim fidei testimonium reddidit. Romae enim postquam in oleum igneum immersus nihil passus est, in insulam relegatus est (Tertullian). Quod ipse confirmat in Apoc. (1, 9) dicens: „Ego Joannes frater vester . . . fui in insula, quae appellatur Patmos, propter verbum Dei et testimonium Jesu." Hoc factum est regnante Domitiano; post Domitiani mortem autem, ut habet Clemens Alex. (Euseb. h. e. 3, 23) ab exilio reversus est. Ephesi pluribus relictis discipulis placida morte quievit et ibidem sepultus est.

Nota. De s. Joannis charactere sequentia addimus. Indolem quod attinet, dicendum est, eundem fuisse animo veritatis ac charitatis amantissimo, coelestibus penitus intento, quin tamen

ab initio zelo imperitaret ferventi (hinc nomen „Boanerges“ (Marc. III, 17); vetitum de daemoniis ejiciendis (Marc. IX, 37); votum, ut ignis descenderet de coelo (Luc. IX, 54); preces Salomes (Matth. XX, 20.). Nihilo secius prae caeteris Domino erat simillimus, ita ut ceu speculum fidelissimum Ejusdem imaginem in se receptam redderet. Quotiescumque enim de Domino sermocinatur, hunc ipsum videre et audire putamus. Quae indoles Domini sanctaeque Matris consuetudine adeo est clarificata et perfecta, ut *fides* ejus jam visio dici queat, in eoque charitas cuncta superans conspiciatur. Argumento esse possunt pauca illa, quae de eo, quum aetate jam esset provectiori nobis servata fuerunt (e. gr. Cerinthus; juvenis inter latrones; „filioli, diligite invicem!“). Multo magis idem demonstrant ejusdem scripta, in quibus fides, charitas vitaque ex Christo arteriae sunt, quae per cuncta diffunduntnr. — Antiqua Ecclesia duplici praecipue corona cinxit caput ejus, scil. corona *virginis* et *theologi*.

2. Ex testimoniis, quae indirecte tantum ad hoc Evangelium pertinent, unum duntaxat afferimus:

a. *Justini Mart.*, a quo Christus non raro nuncupatur: *ὁ λόγος, λόγος σαρκοποιηθείς. λόγος σάρξ γενόμενος, μονογενής* etc., quae certissime ex hoc Evangelio deprompta sunt.

b. *Irenaeus*, de hoc Evangelio loquens (haer. l. II. c. 22) sic habet: *πάντες δι πρεσβύτεροι μαρτυροῦσιν, δι κατὰ τὴν Ἀσίαν, Ιωάννῃ τῷ τοῦ κατὰ κυρίου μαθητῇ συμβεβληκότες, παραδεδωκέναι ταῦτα* (sc. Evangelium) *τὸν Ιωάννην: Παρέμεινε γὰρ αὐτοῖς μέχρι Τραιάνου χρόνων.* — Et alio loco (ib. l. III. c. 1): *Ἔπειτα Ιωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσών, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ εὐαγγέλιον, ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων.*

Nota. Alia quoque Irenaei testimonia habemus; adducta autem plane sufficiunt; etenim auctor, locus ac tempus definiuntur, et *πάντες δι πρεςβύτεροι* testes vocantur. Quem in finem Evangelium fuerit exaratum, ita dilucidat (ib. III, 11): Joannes Domini discipulus, volens per Evangelii annuntia-

tionem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem et multo prius ab his, qui dicuntur Nicolaitae, qui sunt vulsio ejus, quae falso cognominatur scientia etc.

c. *Clemens Alex.* (Euseb. h. e. VI. 14): *Τὸν μὲν Ἰωάννην ἔσχατον συνιδόντα, ὅ τι τὰ σωματικὰ ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις δεδήλωται, προτραπέντα ὑπὸ τῶν γνωρίμων, πνεύματι θεοφορηθέντα, πνευματικὸν ποιῆσαι Εὐαγγέλιον. Τοσαῦτα ὁ Κλήμης.*

Nota. Etiam hic duplex Evangelii ansa, interior scil. et exterior, ac exinde ejusdem character proditur.

Nihil opus est *Origenem*, *Tertullianum*, *Eusebium*, *Epiphanium* afferre, qui omnes idem reddunt testimonium; nisi quod *Eusebius* (h. e. III. 24) addit: Joannem Apostolum ab amicis rogatum tempus (vitae publicae Christi), a praecedentibus evangelistis silentio praetermissum, in Evangelium suum conjecisse; et *Epiphanius:* Joannes cum Ebionitas, Cerinthianos, Merinthianos, Nazaraeos et multas alias haereses (*ἄλλας πόλλας αἵρες.*) circa sublimiorem Christi naturam errantes videret: *τέταρτος τὴν κορωνίδα καὶ τὸ ἀκραιφνὲς τῆς ἄνω τάξεως* (coronidem et apicem sublimioris [in Christo] conditionis), *καὶ ἀεὶ οὔσης θεότητος ἐδήλωσε* (haer. 69).

Nota. Iterum triplex Evangelii conscribendi causa pronuntiatur: *α*) Omissa a synopticis, *β*) amici rogitantes, *γ*) haereses tunc temporis grassantes.

Uberrime denique omnia complexus est *Hieronymus* (script. eccl. c. 9): „Joannes Apostolus, ait, . . . novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiae episcopis, adversus Cerinthum aliosque haereticos et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum ante Mariam non fuisse . . . Sed et aliam causam hujus scripturae ferunt“ etc. scil. praetermissa a caeteris evangelistis.

Nota. Ecce eadem triplex ansa scribendi. — Supplementum ad caeterorum Evangelia quod attinet, Joannes Eusebio ea, quae Joannis Bapt. capturae praecesserunt, desiderasse ac dein ipse supplevisse videtur, ita ut Evangelium Joannis *τὰ πρῶτα τῶν τοῦ Χριστοῦ πράξεων*, caeteri autem evangelistae *τὴν ἐπὶ τέλει χρόνου αὐτῷ γεγενημένην ἱστορίαν* cohibeant.

Hieronymus hunc secutus auctorem addit, Joannem priorum Evangelia adprobasse et confirmasse; insuper dicit: *unius* tantum anni, in quo passus est, post carcerem Joannis, historiam texuisse (Joannem). Praetermisso itaque anno, cujus acta a tribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam Joannes mitteretur in carcerem, gesta narravit, sicut manifestum esse poterit his, qui diligenter 4 Evangeliorum volumina legerint. — Quantumvis claudicet haec critica (quippe cum Joannes saltem inde a VI. cap. et verosimilius jam a IV. caeteris evangelistis *παράλληλος* sit, unde consequens est, nonnisi cap. I—III. superioris temporis historiam complecti), exinde tamen colligi potest, Veteres autumasse, operosam Christi vitam a synopticis depictam nonnisi per *unicum* annum duravisse, quod vero communi sententiae de triennii laboribus Salvatoris minime congruit. — Quo exactius res agatur, proferimus etiam ea, quae in Muratorii Canone de Joannis Evangelio habentur: »Quarti Evangeliorum Joannis ex discipulis. Cohortantibus condiscipulis et episcopis dixit: Conjejunate mihi hodie triduo, et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus. Eadem nocte revelatum Andreae ex Apostolis, ut recognoscentibus cunctis Joannis suo nomine cuncta describeret.“ — Exinde quid historiae, quidve fabulae vindicandum sit, haud difficulter eruitur.

Etiam indirecta testimonia ex Patrum allusionibus, haereticorum scriptis sat firma nobis, sed vix non superflua suppeditarent argumenta de existentia et usu hujus Evangelii ad secundum usque saeculum.

§. 25.

Quo loco, tempore, et quibus Joannes scripserit.

1. Evangelium Joannis *Ephesi* editum fuisse, omnes omnino consentiunt. Sunt tamen aliqui, qui in insula Patmo conscriptum affirmant.

Nota. Certe magni momenti non est, utrum scripserit Evangelium in insula Patmo, an Ephesi. Locus, quo erat dirigendum, sine dubio Ephesus est. Cl. Patritius 34 testes attulit, quorum

13 posteriori sententiae, 21 priori assentiuntur. Inter hos etiam Hug referendus est, nec non omnes ii, qui primam Joannis epistolam litteras concomitantes (Begleitschreiben) esse putant. Tales autem litterae reapse non esse *debent;* hoc etiam dato conclusio non stringit; nam Joannes Evangelium suum certe non pro solis fidelibus Ephesi commorantibus, sed etiam pro fidelibus circa Ephesum, ac ad istos utique *poterat* talem dirigere epistolam. Qui vero Ephesi scriptum fuisse propugnant, multo majori pollent auctoritate. Pro altera sententia praecipue militat „Synopsis pseudo — athanasiana“, quae Evangelium in insula Patmo scriptum ac Ephesi editum fuisse affirmat.

2. *Tempus* editionis verosimiliter est saeculum primum ad finem vergens. Hoc colligitur a) *ex loco;* quo tempore enim Paulus vixit, nec etiam paullo post, Joannes Ephesi non reperitur; b) *ex relatione ad priora Evangelia,* quae tunc jam erant conscripta et, ut Eusebius tradit, in omnium manibus; c) ex tempore et *indole haereticorum,* contra quos scripsit; d) denique ex ejusdem *epistolis* tempore non nimis distantibus, in quibus se *Seniorem* compellat (II. ep. v. 1). — Verosimile tamen est, Evangelium ante Apocalypsin conscriptum fuisse; forsan prioribus annis noni post Chr. decennii.

Nota. Summi vero momenti hic est natura haeresis illius temporis. Prima ejus generatio, cujus imaginem prae caeteris Apostolus Judas et b. Petrus (II. ep.) nobis ob oculos ponunt, vera palus erat dissolutae libidinis et insanientis amentiae. Altera vero, quam praecipue ex epistolis s. Joannis novimus, ingenio excellens certis insistebat principiis, ita ut Apostolus ejusdem sectatores identidem „Antichristos“ nuncuparet. Et contra hos ipsos Evangelium directum est. Insuper omnes haeretici, quos nomine compellat, sub finem saeculi primi vixerunt.

3. Eos, quibus scripserit, magnam partem fuisse *credentes ex gentilibus,* ex libro ipso patet, qui continet declarationes locorum, morum et vocabulorum Judaeis sat notorum; e. gr. 2, 6, 13; 4, 9; 5, 2—4; 6, 4; 11, 18; 19, 13 etc. — Ex sublimitate doctrinae pariter patet, eosdem non fuisse neophytos, sed *provectiores* tum in scientia tum in vita christiania. — Ex loco et circumstantiis denique

editionis discimus, evangelistam maxime *episcopis* regionis Ephesinae petentibus librum suum in manus dedisse, et fideles eorum locorum maxime respexisse, quos haeretici antichristiani infestabant. Caeterum dubitari non potest, Spiritum s. hoc Evangelium universae Ecclesiae destinasse ad omnem falsam gnosin seu philosophiam destruendam, ad omnem veram autem promovendam.

§. 26.

Argumentum Evangelii s. Joannis.

Praeter *prologum* (I, 1—14—18?), qui summam quasi Evangelii, imo totius revelationis continet, *duae partes* majores distingui possunt.

Pars prior (I—XII.)

Filii Dei incarnati in terra revelationem tum verbis tum operibus, et hominum incredulitatem enarrat — ad illustrandam quasi istam sententiam: „in propria venit et sui eum non receperunt (1, 11). — Haec iterum in plures series minores dividi potest:

1. Ingressus ad vitam publicam, sive Christus occultus, sese incipiens revelare (I—III.).
2. Revelatio Christi, tum quod personam, tum quod officium attinet (IV—VI.).
3. Christus impugnatus — pugnae dialecticae inter Christum et Judaeos (VII—X.).
4. Christus rejectus, sed hoc ipso capessens gloriam atque victoriam (XI—XII.).

Pars altera (XIII—XX.)

continet transitum Christi ad Patrem, seu consummationem operis sui in terris.

1. Idea hujus transitus, large explicata per sermones ultimos ad discipulos (XIII—XVII.).
2. Transitus ipse per passionem et glorificationem (XVIII—XX.).

Cap. XXI. appendix est absque nexu necessario cum Evangelii argumento.

§. 27.

De Joannis consilio.

Hoc conjicere possumus partim ex dictis evangelistae ipsius et indole libri, partim ex scribendi occasione et antiqua traditione.

1. Evangelista ipse in fine Evangelii de suo consilio nos certiores reddit. „Haec, inquit, scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est ὁ Χριστός filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus" (20, 31). Duplicem ergo veritatem proponit: a) quia Jesus est ὁ Χριστός et b) quia Idem est fons et principium verae vitae. Hoc esse *primarium Evangelii consilium*, cuique legenti facile patebit, cum hasce veritates in singulis libri partibus iterum atque iterum recurrere viderit. Et prius quidem evincit referendo dicta et facta Christi, quae divinam ejus naturam maxime produnt, et proprias ejusdem tenoris considerationes admiscendo. Alterum, dum Christum ostendit mediatorem intimae unionis inter Deum et homines, ut simus in Deo et Deus in nobis; in quo consistit vera vita et omnis consummatio perfectionis.

Nota. Quod ut magis dilucidetur ac demonstretur, pauca addere juvat. Prima Joannis sententia: „Jesus est Christus, filius Dei" in caeteris quoque Evangelistis identidem occurrit, in Joanne vero modo prorsus *peculiari*. Dum enim in illis haec sententia est *ultima*, tanquam *finis* totius doctrinae, apud Joannem *initium* habetur atque *principium*. Dum apud caeteros e visibilibus natura adparentium conjici potest, Joannes nunquam non e visceribus et ipsa rerum natura visibilia construit. Caeteri historiam quasi ab infra aedificant, Joannes vero eandem a centro divino in genus humanum deducit. — Finis generis humani, ac verae vitae idea in I. ep. 1, 3. pronuntiata est: „ut societas (ἡ κοινωνία) nostra sit cum Patre et cum Filio" etc. Cujus unitatis mediator est Christus, et propter id ipsum vitae principium. Haec autem unitas sive unio duplici modo, *ideali* scil. et *reali* perficitur; et quidem ideali, quum Jesus sit „plenus gratiae et veritatis", imo ipsa veritas et plenitudo gratiae, et homo per fidem et charitatem cum eodem uniatur. Haec unitas mere idealis sive spiritualis

initium est atque principium, per realem autem consummatur. Haec *sacramentaliter* fit per Eucharistiam, *spiritualiter* per Paracletum, ita ut tali modo finis attingatur, quem Christus nobis proposuit dicens: „Ego in eis, et Tu in me, ut sint consummati in unum" (17, 23). — Sat multa et luculenta nobis praesto sunt argumenta, quibus demonstrari potest, hanc duplicem ideam per omnes Evangelii partes extendi. — Vix non omnibus, qui desuper scripserunt, solummodo prior idea tanquam finis sive consilium hujus Evangelii probatur; sed certe non cuncta complectitur.

2. Si *occasionem* scribendi consideramus, consilium Evangelii etiam *polemicum* fuisse, facile intelligemus. Veteres enim tradunt, Joannem rogatum ab episcopis scripsisse contra haereticos illius temporis: Cerinthianos, Nicolaitas, Nazaraeos et alios hujus generis. Hi omnes fuerunt *antichristi*, i. e. Christum verum Deum et hominem in una persona negabant, historicae veritati fabulas seu *mythos* supponentes; et rejecta sapientia divinae revelationis falsi nominis sapientia seu *gnosi* superbiebant. Apostolus jam eorum fabulis *historiam* seu Christum historicum opposuit, et fictitiae eorum scientiae *gnosin vere theologicam* seu philosophiam Spiritus Sancti. Hoc consilium in toto libro et in singulis quibusdam locis deprehendi potest; sed *secundarium* tantum est et indirectum; quemadmodum enim solis ortus tenebras noctis fugat, ita Joannes explicando veritatem errores dispellit, quin eosdem speciatim adgrediatur. — Quidam loci etiam contra eos tendere videntur, qui Joannem Bapt. Christum putabant; sed et hoc secundarium est.

Nota. Joannes illius temporis haereses depingit (I. ep. 2, 18): „Nunc antichristi multi facti sunt"; 4, 3: „Omnis spiritus, qui non confitetur, Jesum Christum in carne venisse (juxta Vulgatam: Qui solvit Jesum), ex Deo non est, et hic est antichristus." Et erant triplicis generis, scil. 1) ii, qui Christum vere *Deum* esse negabant (e. gr. Ebionitae, „qui asserunt, Christum ante Mariam non fuisse" Hieroym.); 2) qui eum *hominem* fuisse inficiabantur (qui non confitetur, Jesum Christum in carne venisse, = Doketae); 3) qui *hypostaticam utriusque naturae unionem* recusabant (qui

solvit Jesum). Hi omnes loco Christi veri, quem etiam *historicum* dicunt, posuerunt falsum sive *mythicum*, ac falsam mysticamque scientiam (gnosin) mentiti sunt, unde postea *gnosticorum* nomen sortiebantur. Contra hos opus erat *historico* apostolico, qui *verum* Christum in vita sua describeret, Eumque *Deum* et *hominem* ostenderet; opus erat *vero gnostico* et *mystico*, qui absconditos divinae sapientiae thesauros et divinae vitae plenitudinem in revelatione jam facta patefaceret. — Eorum, qui Joannem tanquam Christum venerabantur, adhuc vestigia in Oriente inveniri dicuntur, scilicet secta *Zabiorum*.

3. Denique Veteres tradunt, eum voluisse quaedam ex vita Domini a caeteris evangelistis omissa supplere. Neque potest negari, eum nonnunquam ad eorum narrationem respicere, ut satis notam, e. gr. 3, 24; 13, 2; et pleraque, quae in ejus Evangelio referuntur, in caeteris desiderari. Tamen et hoc consilium nonnisi ut secundarium hujus Evangelii considerare debemus.

Nota. Quae ut magis patescant, tria sunt respicienda, scilicet 1) Joannes ceu *historicus*, sive ipsius pragmatismus in relatione ad caeteros synopticos; 2) Joannes uti *mysticus*, sive ipsius natura contemplativa, comparata cum divi Pauli dialectica respectu argumenti ac formae; 3) tandem Joannis *stylus*, qui lactis mellisque flumini aequiparandus est.

§. 28.

Evangelii s. Joannis genuinitas, integritas, fides.

1. S. Joannes in toto libro se nunquam ut auctorem *nominat*, sed sat manifeste prodit. Loquitur enim de *alio* discipulo; magis definite de discipulo, quem diligebat Jesus; qui in coena recumbebat in sinu ejus (13, 23); cui stanti ad crucem matrem suam commendavit (19, 26); cui dixit post resurrectionem: „Sic eum volo manere, donec veniam“ (21, 7. 20. 22). Et de hoc ipso in fine libri dictum est: „Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec.“ Quid potest esse manifestius?

Ex tota antiquitate nemo unquam dubitavit, hunc discipilum esse Joannem. Sed et Evangelium πνευματικόν talis est indolis, ut nemini tantopere conveniat, quam discipulo, quem diligebat Jesus. — Huic testimonio interno accedunt externa supra allata. Nemo unquam ausus est Evangelium Joanni abjudicare, nisi excipias *Alogos* haereticos, qui ne erroribus suis renuntiarent, et Evangelium et Apocalypsin — Cerintho tribuebant. Quos nemo sanae mentis secutus est, donec nostris temporibus impugnatio revivisceret, quae usque hodie perdurat. Sed ex parte adversariorum contra traditionem universae Ecclesiae et contra testimonia validissima nihil objici potuit, nisi vagae opiniones sibi contradicentes et omnem veritatem historicam evertentes. Hinc refutatio superflua est.

Nota. Epiphanius (haeres. LI, 3) de hisce haereticis, quos ludibrii causa *ἀλόγους* appellat, scribit: *Ἐπεὶ τὸν Λόγον οὐ δέχονται . . . καὶ οὔτε τὸ τοῦ Ιωάννου εὐαγγ. δέχονται, οὔτε τὴν αὐτοῦ ἀποκάλυψιν . . . λέγουσι γὰρ μὴ εἶναι αὐτὰ Ιωάννου, ἀλλὰ Κερίνθου.* Ne minimum quidem *οἱ Ἄλογοι* hujus rei argumentum e traditione haurire poterant, sed simpliciter asserebant, hanc scripturam Ecclesia prorsus esse indignam. Quae autem nostro tempore de Joannis Evangelio a novatoribus fuerunt prolata, tam multa tamque insana sunt, ut ea vel paucis perstringere taedeat. Vera tamen et intima hujus contradictionis causa luculentissimum Joannis testimonium est de *Jesu Christo vere Deo* et de supernaturali sublimitate et profunditate vitae christianae; hoc enim testimonium per totum Evangelium diffunditur ceu stimulus pungens pro sic dictis *materialistis* et *rationalistis* Primus inter Germanos, qui contra Evangelium Joannis scripsit, fuit Bretschneider, in libello, qui inscribitur „Probabilia de Evangelii et epistolarum Joannis apostoli indole et origine“ (Lipsiae 1820). Qua ratione novissimo tempore Strauss, Lützelberger, Baur, Weisse, Schweitzer etc. huic Evangelio adversentur, videsis in Comment. cl. Ad. Maier.

2. Quod attinet *integritatem*, maxime impugnata est historia mulieris adulterae (8, 1—11), ex rationibus internis et externis. Ratione interna scilicet objiciebatur tum res narrata tum lingua, ut alienae ab

Evangelio; sed admodum arbitrarie. Majoris momenti sunt rationes externae; abest enim ista pericope in codicibus aliquibus memorabilioribus (B. L. T.), in pluribus est obelo notata, Euthymius eam in accuratioribus non inveniri testatur, nec quisquam Patrum ante Hieronymum et Augustinum eam explanavit. — Sed multo plures codd. eam continent; Hieronymus eam in *multis* codd. tum graecis tum latinis legit. Merito quaeri potest, quomodo in Evangelium irrepserit, si non ab initio ei insita fuit? Contra ratio reddi potest, quomodo sit eliminata. *Augustinus* enim (de conjugiis adulterinis II, 7) ait: »nonnullos modicae fidei, metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud, quod de adulterae indulgentia fecit Dominus, *de codicibus suis* abstulisse etc. *S. Ambrosius* quoque erroris incentivum metuit, si quis ea auribus otiosis accipiat. Ex hac ratione pericope nominata primum lectioni publicae est subtracta, deinde sensim ex manuscriptis est eliminata.

Rationibus multo debilioribus impugnata est genuinitas cap. XXI. Cum enim in traditione ne vestigium quidem dubii occurrat, rationes sic dictae *internae* solummodo objiciebantur, v. c. lingua a loquendi modo Evangelii paululum abhorrens; et v. 24. 25., qui scriptorem ab auctore Evangelii diversum prodere videntur. — Sed rationes linguisticae in pericope tam brevi sunt admodum incertae et lubricae; et posito, versus citatos ab alio adpositos esse, hoc versus capitis praecedentes non tangit.

Nota. Internae et praecipue linguisticae rationes ex parva alicujus libelli particula utique nimis subtiles sunt et arbitrariae, quibus judicium fulciatur. Quis tantae sagacitatis esse gloriatur, ut cuncta, quae auctor quidam dicere possit vel non possit, distinguat, ac inprimis si auctor ex unico tantum opere cognitus est? Qui solummodo talibus inniteretur rationibus, primam et secundam partem Faustii certe non eidem auctori (Göthe) tribueret. — Quod narrationem ad finem (Cap. XXI.) attinet, utique verosimiliter paulo serioris aevi habenda est, sed ab ipso Joanne addita; excipe ultimos versus, quos probabiliter Ecclesiae antistites subjunxerunt, et propter id ipsum magni facere debemus.

3. Ad *fidem* hujus Evangelii adstruendam sufficit Joannis Apostoli auctoritas. Quin accurata temporum locorumque dispositio et graphica plerumque rerum repraesentatio per se τὴν ἀκρίβειαν scriptoris commendant. Quae contra possent afferri, sunt differentiae hujus Evangelii a prioribus tum circa materiam, tum circa formam. Sed istae differentiae realiter contradictoriae non sunt, et ratione habita scriptoris et consilii offendere non possunt.

Nota. Verissimum est, Joannem caeteris Evangelistis comparatum plurimum differre. Dum e. gr. caeteri ea praecipue tractant, quae in *Galilaea* fuerunt patrata vel dicta, Joannes Hierosolymitanis occupatur; in illis facta sermonibus coordinantur, in Joanne sermonum elementa praeponderant; in illis Domini sermones plerumque moralia continent, in isto autem metaphysico-dogmatica; in illis forma parabolica praevalet, in isto quieti fluminis instar cogitata evolvuntur, etc. Quilibet autem sensatus hoc discrimen certe non aliter explicare conabitur nisi e diversa scribendi causa, diverso auctoris consilio ac demum ex ipsius Evangelistae ingenio et charismate. — Differre videtur circa tempus Coenae cap. 18, 28. cf. Luc. 22, 7. Attamen vox πάσχα non solum *agnum* paschalem significat, sed alia quoque sacrificia et convivia paschalia. — Differt etiam circa horam, qua Christus fuit cruci affixus (Marc. 15, 25. cf. Joann. 19, 14). Discrimen evanescit, si in illo tempus horologio *judaico*, in isto autem *Romano* definitur. Qui bonae est voluntatis, etiam illas differentias *essentialiter* facile solvet, quae in resurrectionis historia occurrunt.

Caput V.

Quaestiones generales de quatuor Evangeliis.

§. 29.

Mutua trium priorum Evangeliorum relatio.

Generatim inter tria superiora Evangelia talis est consonantia, ut passim *synoptica* audiant (*συνόπτομαι*, *σύνοψις* — *conspectus, plurium in unum collectio*); attamen etiam tales differentiae, ut unum ab altero plurimum distinguatur; et quidem utrumque in genere et in specie, circa materiam et formam. Hanc relationem mutuam diligentius exponere oportet.

1. *Consonantia*, et quidem a) circa *materiam*.

α) Materia Evangeliorum synopticorum *generatim* considerata in vita publica Salvatoris (i. e. iis missis, quae ad infantiam pertinent), maximam partem eadem est. Praemissa praedicatione Joannis Baptistae cum baptismo et tentatione Christi, narrationem incipiunt a *regressu* Domini in Galilaeam, postquam Joannes in vincula missus erat; narrant vitam publicam extra Hierosolyma, praesertim *in Galilaea;* conveniunt in *ultima ejus peregrinatione* per terram trans Jordanem; denique *passionem* similiter referunt.

β) *In specie* longe maxima pars narrationum, quae habetur in uno, etiam in reliquis occurrit, ita ut alter alterum exscribere videatur.

Nota. Hoc facile demonstratur, si conferuntur Galilaeica Matthaei IV—XVIII; Marci I—IX; Lucae IV—IX. In his capitibus reapse novem decimae totius partes inter se conveniunt. Ast etiam in iis, quae Matthaeus et Marcus de operibus Christi in Galilaea usque ad ultimum Ejusdem iter omiserunt, et quae Lucas suplevit (IX, 51. — XVII.), multa communia occurrunt, pauciora quidem in Marco quam in Matthaeo, qui Lucae historiam justo ordine textam dissolvit et quasdam partes

alibi collocat; e gr. quae Luc. cap. XII. habet, praedicationi in monte inseruit; Luc. X. occurrit in Apostolorum institutione; cf. etiam Luc. XIV. et Matth. XXII—XXV.

b) Nec minor est consonantia *circa formam;* ubi enim eadem narrant, haec plerumque etiam *eodem modo* et non raro *iisdem paene verbis* narrant.

Nota. Conferantur narrationes de tempestate in mari, de obsessis Gadarenis, de paralytici sanatione, de muliere fluxu sanguinis laborante sanitati restituta, de puella mortua in vitam revocata, de 5000 cibo refectis. Simplex repetitio utique non invenitur, tanta vero est scribendi conformitas, ut reapse insanientis esset, cuncta casui tribuere. Haec consonantia nonnunquam ad singula eaque rariora vocabula extenditur, e. gr. in adhibendis aoristis etc. Caeterum Marcus Matthaeo multo propior est, quam Lucas.

2. Sed et *differentiae* adsunt, quae, quamvis consonantiam non superant, tamen sat considerabiles sunt.

a. Circa *materiam* quivis Evangelistarum quaedam omisit, quae in caeteris reperiuntur; et quaedam habet peculiaria, quae a caeteris non commemorantur. Matthaeus e. gr. non modo longiores quosdam sermones sed et nonnullas narrationes solus habet, e. gr. sanationem duorum caecorum et daemoniaci cap. IX., mortem Judae, custodiam sepulchri etc. — Marcus missis plerisque sermonibus aut breviatis quaedam *facta* peculiaria habet; e. gr. sanationem surdi et muti (VII, 32 sq.), caeci (VIII, 22 sq.) etc. — Lucas non solum tempus, quod inter vitam publicam Christi in Galilaea et ultimum ejus iter intercedebat, explevit, sed et in iis, quae cum caeteris evangelistis communia habet, plura ab illis non narrata refert, e. gr. praedicationem in Synagoga Nazarethana, capturam piscium, veniam peccatrici datam, resuscitationem juvenis ex Nain etc., sed et plura omisit, e. gr. quae intercedunt inter primam et alteram panum multiplicationem. — Ast etiam ubi res easdem referunt, non raro *aliter* easdem enarrant, e. gr. ultimam coenam.

Nota. Exempla discrepantiae in gravioribus etiam locis parallelis vide Luc. 22, 19. 20. cf. Matth. XXVI; Marc. XIV; pariter

Matth. XXVIII. et Marc. XVI. — Caeterum etiam hic Marcus a Matthaeo non tantum differt, quantum Lucas ab utroque.

b. *Differentiae formales* i. e. quae non in rebus et cogitatis, sed in modo referendi constant:

α) *Ordo Matthaei* (saltem in parte prima IV — XIII.) est realis seu dogmaticus, in Luca chronologicus, in Marco Lucae propior quam Matthaeo [1]).

β) *Repraesentatio* cuique propria est. Matthaeus, dum sermones Domini, praesertim longiores, cum industria refert, de factis nonnisi necessaria, et haec minus accurate, referre solet; vice versa. Marcus facta cum singulis circumstantiis depingere amat, sermonibus plerumque neglectis; Lucas medium locum tenet, utrique parti aequalem operam impendens.

Nota. Haec est regula; sunt tamen nonnullae in quolibet Evangelio exceptiones.

c. Denique sunt *differentiae styli et linguae*, quod cuique legenti patet.

Nota. Hujus generis minutiae sunt e. gr. vox *τότε* Matthaeo, vox *εὐθέως* Marco praedilecta; insuper Lucas plerumque utitur vocabulis magis exquisitis, e. gr. *ἐπιστάτης*, loco *ῥάββι*; *πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου*, loco *δαιμόνιον* etc.

§. 30.

Hujus relationis causa.

Haec partim similitudo partim dissimilitudo trium Evangeliorum quaestionem parit, unde habeat originem et quae sit ejus causa?

---

1) *Lukas* verheisst *καθεξῆς* zu schreiben — man darf von dieser Voraussetzung nirgends abgehen, wo das Gegentheil nicht bewiesen werden kann. *Matthaeus* stellt Verwandtes zusammen, das bei Lukas an verschiedenen Stellen zerstreut ist; er zieht das innere, sachliche Band dem äusserlichen chronologischen vor. *Markus* geht im galiläischen Theile, in dem, was er mit Lukas gemein hat, meistens — aber nicht immer — mit diesem (vgl. Luc. IV. — IX. Marc. I. — VI.); wo er von ihm abweicht oder Lukas nichts hat, ist er an der Seite des Matthaeus; von der letzten Reise an fast ganz.

Cum Ecclesia hac de re nihil definierit, nec certa antiquitatis traditio existat, res criticae definienda relinquitur. Quae quamvis multum in hac re adlaborarit, tamen nihil omnino certi reperire potuit et adhuc sub judice lis est. Tres sunt potissimum hypotheses, quae ad hanc quaestionem solvendam allatae sunt aut afferri possunt.

Nota. Omne aevum medium, quod *positivae* fidei adhaesit, nec multum *criticae* indulsit, hac inquisitione vix non penitus abstinuit. Saeculo tandem proxime elapso, quo critica biblica pullulavit, res iterum iterumque agitari coepta est. Libri hac de materia conscripti magnam facile bibliothecam constituerent, et in duas praecipue partes abierunt. Ab initio Evangeliorum genuinitas agnoscebatur et inde docti aenigma solvere conabantur. Nostro tempore (inde ab anno 1836) etiam hoc fundamentum miserabiliter comminutum atque derelictum est, ita ut critica jam sine ullo gubernaculo per altum jactetur. Novissimis tandem diebus pars *transactione* quadam, quae est fluctuatio veritatem inter et mendacium, pars *reactione* occupatur. Omnino fatendum est, sapientum lapidem hucusque non esse inventum; et propter id ipsum etiam Catholicorum est, rem pro viribus explorare, summopere autem cavendum, ne positiva veritate relicta difficultates per vanas hypotheses tollere studeant, sed problema historicum historica basi suffulti solvere quaerant.

1. Prima hypothesis est sic dicti *Protoevangelii* i. e. historiae Domini in certam formam redactae, antiquioris nostris Evangeliis, ex qua ut ex communi fonte evangelistae hauserint. Hoc Evangelium quidam lingua aramaica, quidam graeca *conscriptum* asserebant; quidam absque scriptura *traditione* propagatum. — Sed haec hypothesis multis artificiis opus habet ad formam Evangeliorum declarandam; et quod summi momenti est, ne vestigium quidem talis instrumenti in Ecclesia antiqua occurrit; et traditio usque ad litteram consona spiritui apostolico est contraria.

Nota. Primus omnium Protoevangelium aramaicum exstitisse *Eichhorn* affirmavit; idem graecis versionibus ac recensionibus adauctum *Marsch* proposuit. Opusculum secunda vice Eichhorn emendavit, et tandem *Gratz* variis interpolationibus

ditatum adornavit. Quanta arte quanteque mole opus fuerit, ut *hypothesis* tandem firma videretur, e secunda Eichhornii editione colligi potest, vi cujus Evangelii argumentum per *tredecim* infundibula cogeretur, donec nostra prodirent Evangelia! — Protoevangelium *traditione* propagatum *Gieseler* invenit, ex cujus mente Salvatoris historia tanquam pensum pro schola de ore ad os manavit. — Ast in utroque casu Apostoli et evangelistae ludimagistri potius quam „homines Spiritu s. inspirati" dicendi forent.

2. Altera hypothesis est ea, quam s. Augustinus invexit et Catholici praeferre solent; Marcum scilicet fuisse epitomatorem Matthaei, et Lucam utriusque opus ante oculos habuisse. Et revera hoc rationabile videtur et inprimis aptum ad consonantiam Evangeliorum declarandam. Differentiae, ubi sunt, ex diversa auctoris persona, ex diverso consilio, ex diversis lectoribus repetuntur. — Sed omnibus difficultatibus sufficere nec ista hypothesis potest. Sunt enim et aliae differentiae, quae ex causis nominatis derivari non possunt, e. gr. omissiones, quae cum consilio nequaquam cohaerent; narrationes minus clarae et exactae etc.

Nota. Hujus hypothesis difficultas in omissionibus potissimum et in deteriori narrandi modo posterioris evangelistae versatur. Cur enim iste, qui caeterorum Evangelia ante oculos habebat iisque utebatur, nonnulla omittere poterat, quae fini suo non solum non contraria sed potius gratissima esse debebant? Cur demum auctoris intersit, minori, quam caeterorum est, perspicuitate et integritate historiam texere? — Si igitur hac ratione Marcum Matthaeo comparamus, difficultas magna non est; etenim mirum quantum circa argumentum et formam inter se conveniunt. Etiam omissionum maxima pars ex ejusdem consilio et pragmatismo solvi potest; e. gr. si omittit vel breviat multos sermones, qui fors nonnisi ad judaicam vel christianam Ecclesiam spectant; si nonnulla missa facit, quae Petrum tangunt etc. Ast cur omittit historiam de centurione? — Major difficultas circa Lucam habetur; etenim omissio inter primam et secundam cibationem, et narratio minime exacta de ultima coena etc. e consilio vix justificantur.

Hanc hypothesin multis difficultatibus obnoxiam esse, novissimi ejusdem et optimi defensores non diffitentur. Sic cl. Hug Lucae omissionem supradictam per describentis incuriam explicare nititur. Cl. Reithmayr non audet affirmare posteriores evangelistas priorum Evangeliis usos fuisse. Cl. Adalb. Maier per hypothesin, Marcum post Lucam scripsisse, rem sibi multo adhuc difficiliorem reddidit; nam quaestio recurrit, quomodo Marcus ea, quae in priorum Evangeliis continebantur, et meliorem Lucae ordinem tantopere negligere potuerit? Huic difficultati occurrens asserit, posteriores evangelistas non solum priora adhibuisse Evangelia, sed etiam „a paradosi evangelica“ dependisse (§. 7). Ast quomodo ex traditione omissiones et deterior, ut ita dicam, repraesentatio explicandae erunt, quodsi evangelista praedecessorum suorum libros integriores ac strictiori ordine conscriptos ante oculos habuit iisque uti potuit? Cl. Patritius utique affirmat (Luc. §. 46), sese omnium Lucae omissionum, paucissimis exceptis, causam reperisse; rationes vero adductae plerumque levissimi sunt ponderis.

3. Proinde tertiam aliquam hypothesin proponere licebit. Dubitari scil. non potest, quin inter Apostolos et primos discipulos traditio de vita Domini viguerit, quae circa res gestas in Galilaea et ultima fata potissimum versabatur et iterum iterumque repetita formam accuratius circumscriptam pedetentim induebat. Ex hac traditione quaedam, ut fieri solet, a discipulis scripto notabantur, ut sensim διηγήσεις harum rerum orirentur. Lucam habemus testem, jam *multos* conatos fuisse, tales ordinare narrationes, ex quibus Matthaeus Apostoli, *αὐτόπτου* et inspirati praerogativa gaudebat et hinc aliorum opera, similia caeteroquin, longe superabat. Jam fieri potuit, ut Marcus non ipsum Matthaei librum, sed unum aut alterum istorum *multorum* ante oculos habuerit, quod etiam de Luca dici potest. Hoc evangelistis non est indignum, historiae conveniens et ad multas difficultates solvendas aptum.

Nota. Divina providentia hac in re in obscuro nos constitutos esse putemus, „ne simus sapientes apud nosmetipsos,“ ac ut edoceamur, omni *vento* doctrinae jactari, qui *soli* criticae et non infallibili Ecclesiae magisterio confidunt. Spiritus vivificat;

litera autem occidit. De miserabili nostri temporis critica illud Apostoli apprime valet: „Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei“ etc. I. Cor. 2, 14.

§. 31.

Relatio Evangelii s. Joannis ad Evangelia synoptica, et hujus causae.

1. Dum *relatio* Evangeliorum synopticorum inter se ea est, ut similitudo maxima intercedat, inter haec et Joannem maxima *discrepantia* tum materiae tum formae locum habet.

a. Quoad *materiam* ipse historiam vitae publicae Domini statim ab exordio texit, et ea quoque commemorat, quae vincula Joannis Baptistae praecedunt (I—III). Porro vitam publicam maxime in Judaea et Jerusalem narrat, pauca de Galilaea. Paucissima ante Passionem cum caeteris communia habet (6, 1—21), et in Passione et post Resurrectionem multa peculiaria. — Insuper et eo differt, quod miraculis leviter tactis maximopere sermonibus, et quidem dogmaticis occupatur.

b. Etiam narrandi ratio seu *forma* plane diversa est, tum quoad tenorem, tum quoad stylum et linguam, ut quaevis comparatio ostendit.

Nota. Peculiaris prorsus Joannis forma scribendi: a) tanquam *historicus* infucata splendet *fidelitate*, praesertim quoties reddit sermones Domini; mira quadam et singula perstringente *perspicuitate* res nonnumquam ad vivum depingit b) Tanquam *mysticus contemplativus* intima (πνευματικά, non σωματικά) perscrutatur; minus dialecticae, uti Paulus, quam intuitivae intentus contemplationi, nisu et visu vere aquila, sed cuncta narrans cum parvuli simplicitate. Animo est fere semper hilari, nonnumquam dolente, rarissime severo. c) In ipsius stylo jam laudata simplicitas. Lingua saepe non sufficit ad argumentum plene enuntiandum; hinc idem quasi flos e calice erumpit.

2. Hujus discrepantiae *causas* si inquiras, facile in persona auctoris, in temporis circumstantiis et in consilio libri invenies. Scilicet

Ejus inter discipulos, quem diligebat Jesus et qui in pectore ejus recubuit, potissimum erat penetrare mysteria et evolare ad sublimia, unde per eminentiam a Veteribus ὁ θεόλογος cognominatus est. — Priora Evangelia jam in omnium manibus erant, et non erat necessarium nota repetere, sed ignota testari; praecipue falsam philosophiam haereticorum per verae scientiae lumen fugare. — Consilium vero evangelistae in hoc erat, ut fidem in Jesum Christum Filium Dei, fontem vitae, confirmaret; et quomodo hoc melius praestaret, quam eligendo facta et praecipue verba Domini, quae hanc veritatem luce clariorem redderent?

Nota. Pulcherrime s. Joannes ejusque ad priores evangelistas relatio a s. *Augustino* describitur. „Caeteri tres evangelistae tanquam cum homine Domino in terra ambulabant, et de divinitate ejus pauca dixerunt; istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solum super terram, sed super omnem etiam exercitum angelorum . . . . . Non enim sine causa de illo in isto ipso Evangelio narratur, quia et in convivio super pectus Domini discumbebat. De illo ergo pectore in secreto bibit, in manifesto eructavit . . . Aquila ipse est Joannes, sublimium praedicator et lucis internae et externae fixis oculis contemplator" etc. (Tract. in Joann. XXXVI. nro. 1.). Et s. *Chrysostomus* (homil. in Joann. 1.) dicit: „Totum quippe Orbem hoc clamore occupavit, comprehendit, implevit, non clamoris magnitudine, sed linguae ex divinae gratiae motu loquente. Quodque mirum est, tantus ille clamor non asper est, non insuavis, sed omni musica harmonia jucundior et desiderabilior . . . Est illi proscenium totum coelum, theatrum Orbis, spectatores et auditores omnes angeli, et ex hominibus quotquot angeli sunt aut fieri cupiunt."

§. 32.

Summa lineamenta harmoniae quatuor Evangeliorum.

1. Sancta Evangelia, quamquam numero sunt quatuor et externis differentiis distincta; re tamen vera unum opus divinum constituunt,

harmonicum quasi tetrachordon, unum templum Dei, faciebus quatuor in omnes terrae partes prospiciens. Quae *harmonia interna* consistit primo in objecto; unus est enim Dominus, Christus Filius Dei vivi, cujus opus, doctrinam et institutiones nobis referunt, diverso quamvis respectu. Consistit porro in *Spiritu*, qui quamvis diverso charismate evangelistarum calamos direxit, unus tamen est et ad unum finem tendit. Quae unitas interna, ab Ecclesia nunquam non agnita est — ab Irenaeo, qui loquitur de Evangelio quadriformi (*εὐαγγέλιον τετραμόρφον*); usque hodie [1]).

---

1) Christus ist der Eine Mittelpunkt, das Eine Urbild der Menschheit. — Wie nun die Menschheit nach Gottes Fügung sich in gewisse welthistorische Typen ausbildete, so sollte auch das Bild Christi — eben als das Universalbild — in solchen Typen der Menschheit entgegentreten, Allen bekannt und befreundet. Es gibt aber der welthistorischen Völkertypen jener Zeit hauptsächlich vier: das Volk der Offenbarung, das der Weltherrschaft, das der Cultur und Humanität, und das Volk der Kinder Gottes. — Dass Christus jedem derselben in seiner Weise *geprediget* würde, dafür hat Gott bereits im Kreise der Apostel gesorgt. Die Eilf gehörten den Juden an und haben auch vor ihrer Trennung gemeinsam den Juden gepredigt. Später wird Petrus für die Römer berufen, Paulus für die Hellenen; für die Kinder Gottes wird der Theolog und Mystagog unter den Aposteln, Johannes aufbewahrt. — Aber auch das schriftliche Zeugniss von Christus, das *geschriebene Evangelium*, sollte in diesen welthistorischen Typen erscheinen, und auch dafür hat die Vorsehung Sorge getragen. Aus dem Kreise der Altapostel verfasst Matthäus das erste Evangelium. Im Gesetze geschult und von der judenchristlichen Evangelientradition getragen, hat sein Evangelium auch den Charakter der ersten Tradition, und sein Christus erhält den Typus für das Offenbarungsvolk. — Dem Petrus zur Seite steht der rasche, kräftige, thatenfreudige Markus, und der Christus seines Evangeliums, allerdings nur eine formelle Wendung oder Veränderung, gewinnt den Charakter der Römer. — Schon von Haus aus ist Lukas hellenischer organisirt und gebildet, als seine Vorgänger, und er tritt dem Apostel der Hellenen, Paulus zur Seite. Sein Christus gewinnt nun die liebliche allanziehende Gestalt des Menschensohnes und Menschenfreundes — den hellenischen Typus. — Die Kinder Gottes aber haben das Bedürfniss, über der äusserlich geschichtlichen Erscheinung das innerlich überirdische bleibende Wesen zu erfassen, den geistigen Kern, das ewige Wort, das

2. Sed ab antiquissimis Ecclesiae temporibus (*διατεσσάρων* Tatiani) plurimi conati sunt etiam *externam compositionem* rerum in Evangeliis narratarum juxta ordinem temporum performare; quod omnibus est necessarium, qui desiderant totam Domini historiam perspectam habere. Talis compositio *harmonia evangelica* adpellari solet. — Si quis voluerit istum subire laborem, ad haec potissimum respicere debebit: a) ad temporum notas; b) ad res in diversis Evangeliis coincidentes; c) ad nexum externum rerum seu ordinem successionis in singulis.

Nota. Harmonia evangelica exemplari, ab omnibus agnita hucusque caremus, talemque tamdiu desiderabimus, quamdiu de Evangeliorum chronologia et de spiritu et compositione singulorum evangelistarum disceptatur. Plerumque peccatur per arbitrarias hypotheses, divisiones ac rerum penitus diversarum coagulationes. Omnino repudianda est methodus, quae varios textus invicem complicat. Tali modo plane idem fit, ac si quis quatuor summorum artificum tabulas eandem quidem rem repraesentantes, sed diversa mensura diversoque spiritu depictas, in unam vellet reducere. Vix tolerabile opus musivum inde nasceretur, minime autem harmonica pictura. Libelli, qui huc referendi forent, ad fidelium aedificationem inservire utique possunt. Hucusque nobis sufficiat textus juxta collocare, quemadmodum fit in harmonia graeca cl. J. H. Friedlieb. Wratislaviae 1847.

---

unter uns gewohnt hat voll der Gnade und Wahrheit; und Johannes ward berufen diess höchste Zeugniss zu geben. — Das ist der offenbarungsgeschichtliche und welthistorische Organismus der Evangelien, das ihre Einheit und Mannigfaltigkeit. — Das alte kirchliche, tiefsinnige Symbol dieses Verhältnisses sind die s. g. vier Thiere (ζῶα, die Lebendigen). Sie figuriren in allen Mythologien als Symbole göttlicher Kräfte und Eigenschaften in Natur und Offenbarung. Daher thronen sie über der Bundeslade und führen bei Ezechiel den Wagen Gottes. Als „Träger der Offenbarung" sind sie daher auf die Evangelien übertragen worden. In der Vertheilung und Deutung ist die altkirchliche Tradition nicht völlig einig. S. August. de consensu Ev. l. I. 6. — Hieronym. Comm. in Ezech. c. 1.

3. Synopseos causa non erit inutile, historiam evangelicam in sex (imparea utique) sectiones dividere.

I. Nativitas et infantia Christi. Matth. I — II. Luc. I — II.

II. Joannis Baptistae praedicatio, Christi baptismus et tentatio. Matth. III — IV, 11; Marc. I, 1 — 13; Luc. III — IV, 13.

III. Christus in Jerusalem et Judaea, cum Joannes Bapt. nondum in vincula esset conjectus. Jo. I — III.

IV. Christus in Galilaea post vincula Joannis. Matth. IV, 12. — XVIII; Marc. I, 14. — IX; Luc. IV, 14. — IX, 50. — Joannes Christi regressum in Galilaeam describit c. IV; unam intra hoc tempus Hierosolymis demorationem c. V.; panum multiplicationem etc. c. VI.

V. Itinera Christi ad scenopegiae et encaeniorum festa Luc. IX, 51. — XVII, 10; dicta et facta in festis Jo. VII. — X, 39.

VI. Ultimum ejus iter in Jerusalem et ibidem consummatio. Matth. XIX. sqq.; Marc. X, sqq.; Luc. XVII, 11, sqq.; Jo. X, 40. sqq.

Nota. Haec utique nonnisi summa sunt lineamenta, quibus singula contineantur. Principia chronologica pro singulis partibus praecipue sunt sequentia:

1) Christi nativitas *ante mortem Herodis M.* i. e. circa a. 750 A. U. C.

2) Joannes in deserto anno 15. Tiberii i. e. 781; tunc Christus erat circiter 30 annorum. Luc. 3, 1. 23.

3) Tempore paschali a. 781 Christus prima vice Hierosolymis ministerio suo functus est Jo. 2, 13; 3, 20. — Postea, ante Joannis capturam, demorabatur in terra Judaea Jo. 3, 24.

4) Reversus est in Galilaeam Joanne in carcerem misso. Matth. 4, 12; Marc. 1, 14; Luc. 4, 14; Jo. 4. — Ex illo tempore usque ad messem erant quatuor menses (Jo. 4, 35) i. e. circa mensem Decembr. Ergo Christus Dominus a Paschate usque Dec. 781 in Judaea morabatur, et postea in Galilaea opera sua incipiebat, et quidem usque dum Hierosolymam rediret (Luc. 9, 51), verosimiliter ad festum scenopegiae (Jo. 7, 2) a. 782 (i. e. per 10 circiter menses). Semel

Christus Hierosolymis festo interfuit (Jo. 5, 1. Purim?). Quinque millium cibatio centrum est operum Christi in Galilaea, etiam quoad tempus; erat enim Pascha. Jo. VI, 4.

5) Lucas historiam *duplicis itineris* describit IX, 51; XIII, 22; Joannes Christi praesentiam ad festum scenopegiae et encaeniorum Jo. VII, 14; X, 22.

6) Haec ultima pars in sequentes dividatur articulos:

a) *Iter* per Galilaeam et Peraeam ad Jordanem; profectio in Bethaniam ad Lazarum resuscitandum; profectio Hierosolymam et solemnis ingressus in urbem. Matth. XIX—XXI, 17; Marc. X—XI, 11; Luc. XVII, 11.— XX; Jo. X, 40.—XII.

b) Sermones de judicio — Synoptici.

c) Sermones ante discessum. — Joannes.

d) Historia passionis — omnes quatuor.

e) Nova Domini vita — omnes quatuor.

Primum de ordine chronologico suffragium iis competit Evangeliis, quae hunc ordinem prae caeteris servant; hic autem ordo evangelistarum seriem prorsus invertit.

PARS SECUNDA.

Actus Apostolorum et Epistolae.

§. 33.

Transitus; conspectus hujus Partis.

1. Quatuor Evangelia, quae tractavimus, continent testimonium apostolicum de Jesu Christo; de Verbo scil. divino, quod caro factum est et habitavit in nobis (Jo. 1, 14); de omnibus, quae coepit Jesus facere et docere, usque in diem, qua assumtus est (Act. 1, 1. 2.). Hinc nova regni divini periodus initium capit, quam explet *Ecclesia* ab ascensione Domini usque ad Ejus adventum et consummationem saeculi. Fundamenta Ecclesiae utique per ipsum Dominum posita sunt, sed ejus incrementum misso demum in Apostolos Spiritu s. incipit et usque in finem saeculi perdurat. Est autem hoc incrementum duplex: *externum*, simile grano sinapis, quod minimum quidem est seminum, sed quaquaversus dilatatur; et *internum*, simile fermento, cujus vis energica non sistitur, priusquam totam massam fermentaverit (cf. Matth. 13, 31—33).

2. Sed quamvis Ecclesia una sit ab initio usque in finem, magnum tamen discrimen intercedit inter Ecclesiam primitivam *apostolicam*, et Ecclesiam sequentis aevi. Quemadmodum enim Apostoli erant patres et fundamentum Ecclesiae, ita etiam Ecclesia apostolica est matrix et forma (typus) universalis Ecclesiae omnis temporis et loci; et Ecclesia posterior non est nisi evolutio et complementum Ecclesiae apostolicae. Nostrum autem erit in hac introductionis Parte primitivam illam Ecclesiae formam seu Ecclesiam apostolici temporis ex documentis sacrae Scripturae considerare.

3. Sunt autem haec documenta: Actus Apostolorum et Epistolae; et respondent duplici, quod nominavimus, incremento Ecclesiae. *Actus* enim referunt *incrementum externum* seu dilatationem, quam Ecclesia tempore et ope Apostolorum cepit. *Epistolae* continent *incrementum internum*, seu formationem Ecclesiae primitivam circa doctrinam et circa vitae rationem, quam per Apostolos accepit. Duos ergo habemus tractatus: De actis Apostolorum et de epistolis [1].

Tractatus A.

Actus Apostolorum.

§. 34.

Auctor, tempus et locus.

1. Auctor libri tribus locis (16, 10 sq.; 20, 5 sq.; 27, 1 sq.) sese manifestat comitem Pauli primum proficiscentis in Macedoniam, revertentis Hierosolymam, denique Romam petentis. Qualis iste fuerit, certiores reddimur libri initio; idem est, qui tertium Evangelium, quod τὸν πρῶτον λόγον vocat, direxerat ad Theophilum. Quaecumque ergo demonstrant, auctorem illius Evangelii fuisse *Lucam*, eadem etiam pro Luca auctore libri nostri militant. — Nec quisquam in Ecclesia antiqua hac de re dubitavit. Quamvis enim (ut queritur Chrysostomus prolog. homil. in Actus) Actuum liber non gauderet tanta publicitate,

1) Die Apostel und ihr Wirken sind aufzufassen analog den Patriarchen des A. B. und ihrer Zeit. Alles daran ist schöpferisch, typisch, grundlegend. Hiezu qualifizirt sie ihr Amt, ihre Ausstattung und ihre Thätigkeit. Daher hat die apostolische Kirche nicht bloss die Bedeutung des zeitlich-primitiven oder einer ersten Phase der Gesammtkirche, sondern sie ist das massgebende Urbild und das Fundament. Die Kirche der Folgezeit kann nichts wesentlich Neues produciren — sie kann nur behalten und entfalten, was die Apostel ihr gegeben. — Dieselbe Bedeutung hat nun auch das *Abbild* der apostolischen Kirche, wie es in der Apostelgeschichte und in den Briefen vorliegt. Sie spiegeln die äusserliche und innerliche Grundgestaltung der Kirche wieder und geben die Grundidee der Kirchengeschichte und der kirchlichen Literatur.

ut e. gr. Evangelia et Epistolae, tamen non desunt testimonia indirecta et directa. Missis istis sufficit citare *Irenaeum* (adv. haer. III, 14): „Quoniam Lucas inseparabilis fuit a Paulo . . . ipse facit manifestum, non glorians, sed ab ipsa productus veritate" etc., quo dicto plurima ex Actis affert. — *Tertullianus* (de jejun. c. 10.) hunc librum simpliciter „commentarium Lucae" appellat; et sic omnes reliqui.

Nota. Novissimo demum tempore insana critica Lucam hujus libri auctorem esse negare coepit. *Baur* eundem saeculo secundo conscriptum esse autumat, ac proinde Pseudo-Lucam et „piam fraudem" suspicatur. Alii saltem eas partes, in quibus Lucas prima persona pluralis utitur, alii auctori vindicare conantur, quin edisserere possint, quis iste alius fuerit.

2. *Tempus* scriptionis non accuratissime, sufficienter tamen definiri potest. Cum L. in fine libri biennium primae romanae captivitatis Pauli commemoret, saltem non ante annum 63. p. Chr. scripsit, quo anno Paulus e vinculis liberatus est. — Cum porro Actus post Evangelium (τὸν πρῶτον λόγον) scripti sint, hoc vix ante annum 65. — 66. fieri potuit. Attamen ante excidium Hierosolymorum, cum aeque ac in Evangeliis synopticis hujus eventus nullum vestigium occurrat — i. e. ante annum 70.

Nota. Nonnulli tempus accuratius definiunt, scilicet biennium captivitatis Pauli, quocum tunc vivebat, ita ut fere cum captivitatis fine etiam librum absolveret. Alii saltem *paulo post* conscriptum sive absolutum fuisse putant, quum de Paulo plura nondum innotuissent. Utrique assumunt, librum *in se* ad finem non perductum, sed fortuito iis absolvi, quae tunc evenerant. Haec autem opinio valde est ambigua; idea enim, quae totum percurrit librum, uti videbimus, omnino est completa, ita ut etiam opus omni modo completum ante oculos habeamus, quod propterea etiam posterius editum esse *potest*. — Annotationem de Gaza: „αὕτη ἐστὶν ἔρημος" ad devastationem anno 66. factam referunt; sed dubio non caret, utrum „urbs" an „via" sit intelligenda. Act. 8, 26.

3. De *loco* nihil certi constat; Hieronymus Romam assignat, ast non ex traditione, sed ex ratione temporis, cum originem libri intra

biennium captivitatis Pauli collocat. Romae tamen vel in Italia conscriptum fuisse librum vero non absimile videtur.

§. 35.

Argumentum.

Materia libri in *introitum* et *tres partes* commode dividi potest.

Introitus (I. II.) narrat, quae post resurrectionem Domini usque ad originem Ecclesiae facta sunt: Ascensionem Domini, electionem Matthiae, missionem Spiritus s. et primordia Ecclesiae.

Pars prima (III — VII.) repraesentat Ecclesiam inter Judaeos a missione Spiritus s. usque ad mortem Stephani.

Pars secunda (VIII — XV.) Ecclesiam inter Judaeos et gentes simul, mutuamque utriusque relationem a morte Stephani usque ad manumissionem Ecclesiae gentium in concilio apostolico.

Pars tertia (XVI—XXVIII.) progressum Ecclesiae maxime inter gentes post concilium Apostolorum usque ad translationem Evangelii et primatus a metropoli Judaeorum in metropolim gentium.

§. 36.

Consilium libri Actuum Apostolorum et momentum.

1. De consilio auctoris certum aliquod effatum, velut in Evangelio, non habemus. Neque titulus libri desuper nos certiores reddit; frustra enim „acta" seu facta Apostolorum quaesieris, cum post initium plerique Apostolorum ne nominentur quidem. Proinde consilium ex *argumento et tenore libri ipsius* eruere debemus, et possumus statuere: *summam libri in hoc esse, ut historiam universalem Ecclesiae primitivae i. e. apostolicae repraesentet, seu: originem Ecclesiae catholicae in orbe terrarum* 1).

---

1) Die einzelnen Begriffe der Zweckangabe sind wohl zu beachten. a. Es ist *Geschichte*; das dogmatische oder apologetische Moment, das man hie und da zur Hauptsache machte, ist entweder gar nicht vorhanden, oder völlig untergeordnet. b. Geschichte der *Kirche*, nicht der Apostel, nicht der Christen, nicht dieser oder jener zerstreuten Gemeinden, sondern der *ganzen* göttlichen Heilsanstalt für

2. Hoc esse libri consilium ex *materia* patescit. Initio enim narratur, quomodo Dominus ascensurus in coelum Apostolis mandaverit: „Accipietis virtutem supervenientis Spiritus s. in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea et Samaria usque ad ultimum terrae“ (1, 8). Effuso Spiritu s. Petrus statim Ecclesiam *catholicam* praedicat: „Vobis est repromissio, et filiis vestris, et omnibus, qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.“ (II, 39). Omnibus ergo salus destinata erat, sed is servandus ordo, quem Dominus praescripserat: primum Judaeis, deinde gentibus (8, 26). Proinde *parte prima* narratur, quomodo Ecclesia inter Judaeos fructificaverit. Et ita quidem fructificavit, ut magnus Judaeorum numerus crediderit (21, 20), longe major vero nationis pars Evangelium repulerit. Quo factum est, ut Evangelium, prinsquam opus suum inter Judaeos compleverat, gentibus illucesceret. *Parte secunda* jam narratur, quomodo vocatio gentium praeparetur, Ecclesia gentium inauguretur et promoveatur, denique a vinculis externis legis liberetur, vinculis vero internis fidei et charitatis arctissime cum Ecclesia Judaeorum copuletur, ita ut revera una Ecclesia catholica existat. — Sed exinde Judaeis pertinaciter fidei resistentibus, gentibus vero libenter obedientibus, fit, ut summa Ecclesiae ad gentes transeat, Hierosolymis egrediatur, Romam vero ceu novum centrum et principalem sedem eligat — prouti *parte tertia* narratur 1).

---

die Menschheit. c. Es ist *Universalgeschichte*, d. h. keine materiell vollständige Relation über Ausbreitung, Einrichtung etc., sondern nur das in sich begreifend, was den vorzugsweise welthistorischen Schauplatz (um das Mittelmeer), die welthistorischen Völker, den welthistorischen Prozess und Progress angeht. Alles andere ist als Nebensache ausgelassen. d. Endlich die welthistorische Gestaltung der Kirche *in apostolischer Zeit*, daher schliessend, sobald das welthistorische Ziel der Apostel erreicht ist. Will man den Grund*gedanken* des Buches ausdrücken, so ist er: *die Entwicklung der Kirche von Jerusalem nach Rom; oder der Eintritt der kath. Kirche in die Welt.*

1) Es ist nicht richtig, wenn man bloss von einer Juden- und Heidenkirche spricht; wenn man diese beiden als eigentliche Gegensätze ansieht und nicht als zwei sich ergänzende Hemisphären, wenn man

3. Nec minus *forma* seu dispositio et elaboratio materiae hoc consilium prodit. Personae et res non eliguntur, quatenus in se sunt memoratu dignae, sed quatenus evolutionem illam Ecclesiae afficiunt. Dispositio ea est, ut singulae narrationes velut articuli catenae ideam istam conforment. Denique is narrandi modus, ut quae propius hunc scopum tangunt, accuratius, quae sunt ab eo remotiora, obiter tantum describantur 1).

---

zuletzt in der Apostelgeschichte nur mehr die Heidenkirche findet. Es ist vielmehr vom Anfange bis zum Ende die *katholische* Kirche, die Juden- und Heidenchristen in sich begreift. Sie hat anfangs die judenchristliche Form; dann wächst ihr die heidenchristliche zu, und ihre Verbindung ist auf dem Apostelkonzil vollzogen. Sofort handelt es sich bloss darum, wo der Prinzipat und der grössere Segen der kath. Kirche sich niederlassen soll. Jerusalem war dazu prädestinirt; doch der Sinn der Juden ist so verhärtet, dass durch die klarste und gerechteste Fügung *Rom* an seine Stelle tritt.

1) Man hat in der Apostelgeschichte oft genug einen fragmentarischen und ungleichartigen Charakter gefunden. Und auf den ersten Anblick scheint es allerdings so. Wie viele Begebenheiten, die nicht bloss überhaupt wichtig wären, sondern insbesondere für die Paulinischen Briefe, sind übergangen! Wie ist der Auktor manchmal so kurz bei wichtigen Ereignissen, und bei scheinbaren Nebendingen manchmal so ausführlich! — Aber wenn man den Massstab der Universalgeschichte anlegt, erscheint Manches in anderm Lichte. Da treten vor allem nur die Hauptträger der Idee in den Vordergrund, die bedeutendsten Hilfsglieder derselben ihnen zur Seite, die andern verschwinden. So erscheint im ersten Theile *Petrus* als Hauptperson, im zweiten ist *Paulus* ihm bereits coordinirt, im dritten erscheint er allein — denn so verhält sich ihre Person und ihr Dienst zum Hauptgange der Kirche. So verschwindet der ganze Süden und Osten und sind hauptsächlich bloss Hebräer, Hellenen und Römer ins Auge gefasst. So ist im ersten Theile der Mittelpunkt *Jerusalem*; im zweiten das Doppelcentrum *Jerusalem-Antiochia*; im dritten *Jerusalem* und *Korinth-Ephesus* als Vorläufer *Roms*, endlich *Jerusalem-Rom*. — So verschwindet auch die Wichtigkeit mancher Begebenheit und wird nicht berührt, oder kurz abgethan — wie Pauli Reise nach Arabien, die Bekehrung Galatiens, und wird manche sehr wichtig und ausführlich erzählt, z. B. die Reise nach Rom. Nur muss man auch die Freiheit des Geschichtschreibers anerkennen, nicht jede Erzählung in den Schraub-

4. Ex quo patet *momentum* libri. Est enim documentum apostolicum de fatis et progressibus Ecclesiae primitivae. Mysterium divinae providentiae maximum pandit, qua ratione salus a Judaeis transierit ad gentes. — Sed et pro Ecclesia serioris aevi summi est momenti. Hoc est enim opus Ecclesiae catholicae: vincere Judaismum et paganismum cum omnibus, quae iisdem cohaerent, et unire fideles ex Judaeis et gentibus „in unum novum hominem et reconciliare ambos in uno corpore“ (Eph. 2, 15. 16). Pars principalis et fundamentalis hujus operis per Apostolos est absoluta et in libro Actorum deposita. Proinde hic liber historiae ecclesiasticae fundamentum est et prototypon[1]).

stock eines ungesunden Universalismus spannen (wie Baumgarten es macht), sondern manche Länge und Kürze auch einfach seinem Belieben zuschreiben.

1) Die unermessliche Bedeutung der Apostelgeschichte liegt besonders in zwei Stücken: der *Urbildung* der *katholischen* Kirche, die die Einheit der Juden- und Heidenkirche ist — was die Protestanten ewig nicht begreifen können; und dem *Ur-* und *Grundkampf mit dem Unchristenthum* d. i. Juden- und Heidenthum. Die ganze Weiterentwicklung der Kirche kann nur auf diesem Grunde und nach diesem Typus stattfinden. — Ueber diesen *welthistorischen* Zweck und Sinn der Apostelgeschichte hat man in älterer Zeit nicht viel nachgesonnen (da die Exegese überhaupt mehr dogmatisch-moralisch als organisch-historisch war), und man ist katholischerseits auch heutzutage noch nicht sonderlich tief gedrungen. *Adalbert Maier* weiss dem Buche keinen bestimmtern Zweck zuzuschreiben, als einen „allgemein-geschichtlichen“ — ohne klaren Grundgedanken; die Lückenhaftigkeit einer- und die Fülle andrerseits erklärt er nicht aus der objektiven Natur des Gegenstandes, sondern aus der beschränktern oder reichern Erkenntniss der Quellen. — *Reithmayr*: „Er schreibt keine Kirchengeschichte“ — nur einen Bericht über den Entwicklungsgang des Christenthums über den Mosaismus hinaus äusserlich und geistig den Hellenen zu (§. 75). — Wichtiger wurde die Frage von den Protestanten behandelt, theils im allgemeinen Interesse der neutestamentlichen Kritik, theils im Interesse der brennenden Frage der Zeit — der Kirchenfrage. Sie hat innerhalb zweier Jahrzehnte eine bedeutende Literatur hervorgerufen und nun, wie es scheint, den Rundlauf vollendet. Die erste Ausbeute in diesem Sinne machte *Neander* (Geschichte der apostol. Kirche), der es schon wagt manche Erzählung

Tractatus B.

Epistolae apostolicae.

§. 37.

De epistola in genere; de epistolis apostolicis earumque divisione.

1. *Epistola* est cogitatorum communicatio inter duos absentes ope scripturae. Differt igitur a sermone, quia commercium est inter distantes; differt a tractatu generali, eo quod res non *objective* i. e. prouti sunt in se et pro omnibus, tractat, sed potius *subjective*, quatenus scilicet correspondentes tangunt. Quamvis igitur thema possit esse generale, tractandi ratio semper est particularis (localis, individualis etc.); e. gr. in epistola ad Galatas relatio inter legem Mosaicam

---

einer mythischen Verdunkelung zu zeihen. *Schneckenburger* (über den Zweck der Apostelgeschichte, Bern 1841) stellt (nach manchen theilweisen Vortänzern) den Zweck des Buches als apologetisch dar, um die judaisirende Petruspartei für die Pauliner zu gewinnen. Zu diesem Zwecke sei Manches der historischen Wahrheit ungetreu dargestellt und müsse der Petrus des ersten Theils paulinisiren und der Paulus des zweiten Theils petrinisiren. Uebrigens ist ihm Lukas der Verfasser. — *Baur* von Tübingen acceptirt (in „Paulus der Apostel") die Resultate seiner Vorgänger und zieht die ganz konsequente Folgerung: Wenn die historische Wahrheit alterirt ist — wie steht es mit dem apostolischen Ursprung und der Glaubwürdigkeit des Buches? Offenbar müsse dann beides aufgegeben und die Schrift als ein Machwerk späterer Zeit mit fingirtem Schein apostol. Ursprungs angesehen werden. — *Zeller* (Tübinger Jahrbücher) und *Bruno Baur* setzen die Kritik in demselben Sinne fort, und so ist das Werk der negativen Kritik glücklich am Ende — tabula rasa. — Hier beginnt nun die Reaktion. Nach manchen partiellen kritischen Entgegnungen dehnte *Baumgarten* (die Apostelgeschichte oder die Entwicklung der Kirche von Jerusalem nach Rom, 1852) die Untersuchung auf das ganze Buch aus. Er verlässt den Standpunkt der bloss äusserlichen und zersetzenden Kritik und versucht es *synthetisch* d. h. aus dem Inhalte selbst, ohne ein Jota fahren zu lassen, die universale Bedeutung und Göttlichkeit (Canonicität) des Buches zu erweisen: Jede Erzählung ist ihm ein nothwendiges Glied jener grossen Entwicklung, die der Titel

et gratiam, prouti Galatas spectat; in epistolis ad Timotheum et Titum instructio pastoralis, sicuti hisce pastoribus erat necessaria. Est igitur epistola scribendi genus, quod vivae vocis colloquio proximum est; ideoque inprimis aptum affectibus paternis, amicae exhortationi, familiari increpationi; nec minus idoneum ad movendum, excitandum, consolandum, confirmandum.

2. Epistolae *apostolicae* jam sunt documenta commercii habiti inter Apostolos et ecclesias sive etiam singulas personas. — *Causae* talis commercii sunt partim in mente et conscientia Apostolorum, quorum erat Ecclesiam non solum fundare et dilatare, sed et intus aedificare; partim in statu indigentiisque ecclesiarum; quae Apostolorum consilium, opem, directionem postulabant. — *Forma epistolaris* ab ipsis adhibita non est fortuita, sed naturae rei convenientissima. Apostolorum munus non erat scripturarum compositio, sed vivae vocis

---

nennt. Er hat das grosse Verdienst, den klaren Grundgedanken des Buches das erstemal flott gemacht zu haben; auch seine Methode ist im Allgemeinen die richtige — ist katholisirend. Aber sein protestantischer Spiritualism, der die derbe Wirklichkeit nirgends zu erfassen vermag; sein Dualism (Juden- und Heidenkirche als Gegensätze, nicht als Einheit erfassend); sein Mangel eines richtigen Kirchenbegriffes foppen ihn bei jedem Schritte und verwickeln ihn in Abenteuerlichkeit und Widersprüche aller Art. An die Stelle des wahren Geschichtsverständnisses tritt eine künstliche Construction; an die Stelle der Exegese ein ungesunder Allegorismus und Mysticismus, der sich in der Nüchternheit moderner Exegese seltsam genug ausnimmt. — Den Abschluss macht *Lechebusch* (die Composition und Entstehung der Apostelgeschichte, Gotha 1854). Er stellt sich wieder mehr auf den Boden der analytischen Kritik, ohne die Synthese zu vermeiden; nimmt die pietistische Ueberschwenglichkeit Baumgartens scharf mit — adoptirt aber seinen Grundgedanken als den richtigen; vindicirt also dem Buche seine universelle Bedeutung und seinen apostolischen Ursprung mit aller Evidenz, deren die Kritik nur immer fähig ist. Reinigt man sein Buch von manchen protestantischen Schlacken und bringt es in eine mehr katholische Atmosphäre, so enthält es alles, was der Katholik nur wünschen kann. — Der circulus dieser Kritik ist ein belehrendes Beispiel, was die Kritik ausserhalb der Kirche überhaupt der Bibel leisten kann; und wie ihre Resultate am Ende immer der Wahrheit d. i. der Kirche zu Gute kommen.

praedicatio („euntes — praedicate"); stylum nonnisi necessitate coacti adhibebant, et tunc eam scribendi formam, quae vivae voci proxima est. Porro singularis epistolae efficacia ad excitandos spiritus hoc scribendi genus commendabat. Denique occasiones et quaestiones erant particulares et locales, quibus proinde non generaliter sed particulariter erat satisfaciendum. — Sed quamvis, uti diximus, materiam epistolarum apostolicarum constituant quaestiones particulares et locales, *summi tamen sunt momenti pro universa Ecclesia*. Temporis enim decursu et Dei ordinante providentia factum est, ut summa doctrinae et disciplinae ecclesiasticae capita discuterentur. Hae proinde epistolae revera sunt typus depositi tum doctrinae tum vitae Ecclesiae apostolicae ad instruendam Ecclesiam omnium temporum et locorum. Duplici igitur respectu nobis semper sunt considerandae: quid valeant pro tempore et loco, quem proxime respiciunt, et quid valeant pro Ecclesia universa. — Ex quo patescit etiam *relatio epistolarum ad Actus Apostolorum*. Actus, ut vidimus supra, incrementum externum Ecclesiae apostolicae continent, epistolae vero *incrementum internum* exhibent, doctrinae scilicet et vitae Ecclesiae primitivae. Similis ratio inter utraque est circa plenitudinem materiae. Quemadmodum Actus non omnes eventus dilatationis Ecclesiae apostolicae continent, sed tantum universales; ita epistolae non omnes doctrinae et vitae Ecclesiae apostolicae partes continent, sed summa earum lineamenta.

3. *Divisio* epistolarum convenientissime fit juxta auctores. Ex his epistolae Pauli antiquitus ceu unum corpus consideratae sunt, ὁ *ἀπόστολος* inscriptum; reliquorum epistolae alterum corpus formabant, epistolarum *catholicarum* nomine. Nos proinde duobus Capitibus agemus:

I. de epistolis Pauli,

II. de epistolis cathol. Singulas deinde juxta ordinem temporis, quo scriptae sunt, proponemus.

Caesaream et Tarsum in Cilicia venit. Interea fides Antiochiae fundata erat et Barnabas ab Apostolis eo missus. Is Tarso Paulum adduxit, quocum annum totum ibi commoratus est. Eo tempore Antiocheni ad pauperes Palaestinae eleemosynam miserunt per Paulum et Barnabam, qui hac de causa Hierosolymas abierunt. Hoc Pauli iter tunc fere temporis accidit, cum Herodes Jacobum majorem gladio interemit, Petrum in vincula conjecit, paulo post vero ipse mortuus est (circa ann. 43). Quo peracto Paulus et Barnabas reversi sunt Antiochiam. Ibi monitu Spiritus s. Paulus et Barnabas consecrati sunt manuum impositione ad Evangelium praedicandum inter gentes. Jam uterque cum Joanne Marco petiit Cyprum et, hoc dimisso Asiam minorem meridionalem, ubi Antiochiae in Pisidia, Lystris alibique praedicaverunt. Judaeis ubique tumultuantibus reversi sunt Antiochiam, unde exierant, ibique retulerunt: quia Deus gentibus aperuisset ostium fidei; et tempore aliquo manserunt. Orta vero contentione, an circumcisio necessaria sit ad salutem, Paulus, Barnabas et Titus profecti sunt Hierosolymas, ubi hac de causa celebrabatur concilium Apostolorum. Ibi libertas Ecclesiae gentium a lege Mosaica proclamata est, a Paulo praedicatum Evangelium approbatum et ipse cum Barnaba Apostolus gentium declaratus; quo facto Antiochiam redierunt. Ita, ut diximus, vocatio ejus penitus est definita; scriptum tamen ad hoc usque tempus nullum edidit.

b) *Periodus fundationis* a concilio Apostolorum usque ad captivitatem Apostoli (50 vel 51—58), sic dicta, quod hoc tempore laboris sui apostolici non solum fundamenta posuit, sed et summam operis complevit. Hoc autem opus maximi momenti est conversio Graecorum, utpote gentis principis. Adjunctis scilicet sibi comitibus Sila, Timotheo et postea etiam Luca, postquam aliquibus Asiae minoris regionibus Evangelium praedicaverat (e. gr. in Galatia), in Macedoniam transiit. Postquam Philippis, Thessalonicae, Beroeae, Athenis Evangelio viam aperuit, *Corinthum* venit, ibique plus uno cum dimidio anno commoratus (52 — 54) sedem principalem fidei christianae pro hac Graeciae parte constituit; inde etiam duas epistolas ad

Thessalonicenses direxit. — Hoc peracto voti causa Hierosolymam reversus est et peragratis superioribus Asiae minoris partibus *Ephesum* se contulit ibique plus duobus cum dimidio annis (54—57) moram fecit, ita ut hanc civitatem revera metropolim fidei pro Graecia orientali constitueret. Exinde etiam dedit epistolam ad Galatas et ad Corinthios primam. — Jam pridem in urbem principalem gentium *Romam* oculos conjecerat; et nunc, Graecia fidei subjecta, in Spiritu constituit, transita Macedonia et Achaja, ire Hierosolymam, dicens: quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam videre. Exinde profectus in Macedoniam, ibi alteram ad Corinthios epistolam scripsit, dein Corinthum venit ibique hiemem (57—58) transegit et epistolam ad Romanos scripsit. Postea per Macedoniam, Troadem, Miletum in Palaestinam iter direxit et Hierosolymis festo pentecostes anni 58. in vincula conjectus est. Hac igitur periodo non solum laboris sui partem celeberrimam absolvit, sed et principales scripsit epistolas, in quibus maximum illud problema solvit: *relationem inter naturam et gratiam.*

c) *Periodus defensionis* tempore captivitatis primae (58—63), sic dicta, quod isto tempore requirebatur non tam nova constituere, quam semel parta tueri contra ingruentia doctrinae vitaeque christianae pericula. Apostolus scilicet biennio Caesareae sub Felice et Festo Procuratoribus in vinculis retentus, per insidias Judaeorum denique coactus fuit Romam ad Caesarem appellare, eoque anno (60—61) iter periculosum confecit. Ibidem per duos annos in vinculis quidem erat, Evangelium tamen libere praedicavit; biennio absoluto libertatem recuperavit. Intra hoc tempus ecclesiae, duce Apostolo privatae, divinae providentiae et propriae evolutioni relinquebantur. Sed dum undique laeti fructus apparerent, succreverunt et zizania, et pericula supra indigitata irrumpere coeperunt. At Apostolus sollicite vigilans ista pericula per epistolas praevenit aut suppressit. Ex captivitate Romana scilicet scripsit epistolas ad Philippenses, Ephesios, Colossenses et Philemonem; et post receptam libertatem epistolam ad Hebraeos.

d) *Periodus traditionis* post liberationem usque ad mortem (63—67 vel 68). Quid operis Apostolus hoc tempore susceperit, non sat accurate noscitur; hoc tamen conjicere possumus, eum post liberationem in Orientem reversum esse, ibidem res ecclesiarum composuisse, successores constituisse, velut Titum in insula Creta, Timotheum in metropoli Ephesina; deinde alteram Romae captivitatem et ibidem martyrium subiisse. Est igitur tempus ultimae visitationis et traditionis ecclesiarum in manus successorum; et documenta hujus traditionis sunt ultimae tres epistolae, scilicet ad Titum et ad Timotheum utraque.

Ex tribus igitur Apostoli periodis tres epistolarum series habemus:

A. *Epistolae ante captivitatem priorem:*

1. et 2. duae ad Thessalonicenses;
3. ad Galatas; 4. 5. duae ad Corinthios;
6. ad Romanos.

B. *Epistolae ex ista captivitate:*

7. ad Ephesios; 8. Colossenses; 9. ad Philemonem;
10. ad Philippenses; 11. ad Hebraeos.

C. *Epistolae post priorem captivitatem:*

12. ad Titum; 13. 14. duae ad Timotheum.

Nota. Argumenta, quibus modo dicta firmantur, et quae tempus, locum etc. accuratius definiunt, in Actibus Apostolorum et epistolis inveniuntur, ac suo tempore in medium proferentur.

A. Epistolae Pauli ante priorem captivitatem.

1) 2) Ad Thessalonicenses ambae.

§. 40.

Thessalonicensium ecclesia; quo tempore et loco Paulus scripserit utramque epistolam.

1. Thessalonica erat urbs primaria Macedoniae secundae, emporium incolis frequens Romanis, Graecis atque Judaeis. Paulus anno 52. Philippis per Amphipolim et Apolloniam huc venit et primum in Synagoga per tria Sabbata praedicavit Christum. Crediderunt ex Judaeis quidam, sed de colentibus et gentilibus multitudo magna et mulieres

nobiles non paucae. Tunc Judaei concitata turba coëgerunt Apostolum fugere Beroeam et exinde Athenas. Remanebat igitur Thessalonicae ecclesia potissimum ex gentibus, fundata quidem, sed non penitus instituta atque formata (Act. 17).

2. Quo tempore et loco prima epistola scripta sit, ex indiciis internis clarescit. Silas et Timotheus, Apostoli cooperatores, Beroeae remanserant, dum ipse Athenis eos expectaret. Timotheum jam aut Beroea aut Athenis (I. ep. 3, 1) Thessalonicam ablegavit, ut visitaret ecclesiam. Silas et Timotheus Apostolum sequentes, eum non amplius Athenis sed Corinthi invenerunt. Ibidem *ἄρτι ἐλθόντος Τιμοθέου* (I. ep. 3, 6) primam scripsit epistolam (a. 52).

3. Cum scriberet alteram, Silas et Timotheus adhuc ipsi aderant; nihilque mutatum, nisi quod Thessalonicae quaedam nova acciderant. Et ipsa igitur scripta est Corinthi, tempore aliquantulum seriore, forsan a. 53.

§. 41.

Rerum situs pro epistola prima; ejusdem consilium et argumentum.

1. *Rerum situs* ex dictis et epistola ipsa facile conjici potest. Fideles Thessalonicae erant prima ecclesia gentium inter Graecos, quam Apostolus plantaverat quidem, sed nondum perfecerat. *Prima igitur doctrinae christianae vis*; quam exercet in animos hucusque tenebris immersos, in ipsis operabatur; inter quas doctrinas nulla potentior, quam doctrina de regno Dei revelando desuper, de consummatione saeculi et de Domini adventu ad judicium. — *Prima etiam gratia* in ipsis operabatur fructibus charitatis et patientiae. Attamen utrobique erant defectus. Erant *defectus fidei* (*ὑστερήματα πίστεως*. 3, 10), praecipue circa adventum Domini et relationem defunctorum ad hunc adventum. Erant et *defectus morales* circa castitatem, dilectionem fraternam etc. Huc accedebant *persecutiones* externae ex parte Judaeorum, qui variis timoribus, expectationibus etc. animos perturbabant. In his omnibus admodum necessarium erat Apostoli auxilium, quod libentissime *praesens* ipsis contulisset. Sed impeditus, quo minus ad eos veniret (I. Thess. 2, 18), hanc misit epistolam.

2. Ex quo patet *consilium* scribentis. Minus intendit, ulteriorem profectum in fide et scientia christiana promovere aut profectum falsum

et erroneum impugnare, sicut in plerisque epistolis reliquis. Potius intendit, *primam doctrinam et ordinationem ecclesiae complere;* praecipue doctrinam de adventu Domini clarius exponere et vitae practicae fructiferam reddere.

3. *Argumentum* post inscriptionem (v. 1.) dividi potest in prologum, duas partes et epilogum.

Prologus (I, 2—9): Gratiarum actio ad Deum propter fructus Evangelii inter Thessalonicenses.

Pars prima (c. II. III.): Effusio *affectus vere paterni*, quem nutrit Apostolus erga Thessalonicenses: Ipsius conversatio apud eos (II, 1—12); eorum cooperatio (13—16); desiderium absentis (17—20); missio Timothei hac de causa (III, 1—5); nunc quomodo sit affectus (6—13).

Pars secunda indigentias et defectus ecclesiae respicit (IV, 1. V, 11).

a) *defectus morales* circa castitatem, fidelitatem, charitatem, laboris studium (IV, 1—12);

b) *defectus doctrinae et scientiae;* scilicet de relatione mortuorum ad Domini adventum; de tempore hujus adventus (IV, 13—18; V, 1—11).

Epilogus (V, 12—24): Exhortatio ad vitam christianam bene compositam. Concludunt salutationes et commendationes (25—28).

§. 42.

Epistolae II. occasio, consilium et argumentum.

1. Prima Apostoli epistola effectum optatum non omnino habuerat. Imo falsum timorem ingesserat, quasi mox instaret adventus Domini, quem epistola quaedam supposititia, prophetiae falsae, dicta, quae Apostoli nomine circumferebantur, adhuc augebant. Dum haec alios turbabant, alii peccata consueta non satis emendaverant. Hic rerum status alteram Apostoli epistolam provocavit.

2. Hujus *consilium* proinde in eo est, ut errores circa adventum Domini et inanes timores dispellat, peccantes autem severius castiget.

3. *Argumentum.* Praemissa brevi inscriptione adjunctaque in fine brevi subscriptione, *tria* potissimum capita continet:

a) *Consolatio* de Domini adventu, dantis vindictam infidelibus, ipsis autem gloriam (c. I.).

b) *Sanatio falsi timoris*, quasi instet dies Domini, quem praecedere debet discessio et Antichristus (II, 1—12).

c) *Monita practica*; generalia, ut permaneant in fide et proficiant in virtute; specialia contra quosdam inordinatos (II, 13, III.).

§. 43.

Utriusque epistolae genuinitas et momentum.

1. De neutrius genuinitate unquam in Ecclesia dubitatum est. — Nec desunt testimonia antiquissima. *Justinus* (dial. cum Tryph. c. 110) de antichristo (ὁ τῆς ἀποστασίας ἄνθρωπος) simili modo loquitur ac ep. II. Utraque in canone *Marcionis* habebatur. *Irenaeus*, *Clemens Alex.*, *Tertullianus* utramque citant. — Quae critica recentissima contra affert, nullius sunt momenti.

2. *Momentum* harum epistolarum relate ad reliquas Apostoli in eo potissimum est, ut quasi *prologus* sint et introductio omnium sequentium et totum quasi prospectum Apostoli aperiant, incipientem a recenti memoria eorum, quae egit et passus est, et prospicientem usque ad consummationem saeculi. — Momentum relate ad nos et universam Ecclesiam maxime consistit a) in stabilienda *necessitate traditionis* (cf. I. ep. 3, 10; II. ep. 2, 5); b) in doctrina *de parusia* Christi et de iis, quae eam praecedunt; c) in *exhortatione* practica.

8) Epistola ad Galatas.

§. 44.

De ecclesiis Galatiae; quo tempore et loco epistola scripta sit.

Galatia sive Gallograecia, in Asia minori sita, incolas habuit Gallos admixtis Germanis; lingua similis erat usitatae Treviris (Hieron.); civitates primariae: Ancyra, Pessinus.

S. Paulus post concilium Apostolorum, priusquam in Europam transiret, in his regionibus Evangelium praedicavit (a. 51) et laetissime exceptus ecclesiam fundavit (Act. 16, 6; Gal. 4, 14). — Revisit Galatas anno 54, cum per partes superiores Asiae minoris

Ephesum descenderet (Act. 18, 23); et tunc propter ingruentes errores severius in ipsos egisse videtur (ἀληθεύων ὑμῖν. 4, 16). Post hanc alteram visitationem epistola scripta est (4, 13 enim dicit: εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον); nec multo post, ut videtur (οὕτω ταχέως. 1, 6); et quidem Ephesi, ubi Apostolus ab anno 54. usque ad 57. commorabatur.

§. 45.

Rerum situs; quaestionis Galaticae momentum, epistolae scopus.

1. Cum Apostolus primo Evangelium praedicaret, libentissime, ut diximus, a Galatis exceptus est: „Excepistis me sicut angelum Dei, sicut Christum Jesum“ 4, 14. Evangelium cum gaudio didicerunt et laetissimos ejus fructus experti sunt, ita ut supernaturales Spiritus s. virtutes in ipsis operarentur. — Post vero Apostoli discessum supervenerunt *seductores Judaici*, invidentes libertatem christianam et fidelibus jugum legis Mosaicae denuo imposituri. Hoc ut melius consequerentur, *auctoritati Apostoli* primum detrahebant dictitantes, eum non verum esse Apostolum Christi, sed auctoritatem et Evangelium suum non aliunde quam ab hominibus et per homines accepisse. Deinde *doctrinam ejus* de fide absque operibus Legis impugnabant, asseverantes, circumcisionem et observationem legis Mosaicae ad salutem fidelibus necessarias esse. Seductio successu non caruit; imo defectio tristissima quoad *doctrinam* et quoad *mores* in ecclesia facta est. Quoad doctrinam scilicet persuasio de insufficientia gratiae et de necessitate operum Legis animos irrepsit; quoad mores anxia Legis antiquae observatio denuo locum cepit (4, 9. 10); dum fructus novae Legis — charitas et vita spiritualis — tristem in modum deficerent.

2. Hujus quaestionis *gravitas et momentum* diligentius perpendenda est. Quaestio erat de relatione Judaismi ad fidem christianam, seu legis Mosaicae ad gratiam. Summa quaestionis per concilium apostolicum jam erat decisa. Nempe cum esset sancitum, fidelibus ex gentibus observationem Legis non esse imponendam, hoc ipso constabat, Legis observationem ad salutem non requiri. Jam asseveratio contraria, quam seductores isti afferebant, duplicem sequelam tristissimam effugere non poterat.

a) Fidem christianam penitus evertebat. Si enim non fides et gratia, sed opus Legis justitiam et salutem acquirit, tunc revera non Christus, sed homo ipse salutis est auctor. Quid vero hoc aliud est, quam evacuare Christum, negare redemtionem, gratiam abjicere?

b) Ab homine impossibilia postulabat. Nam si Christus pro nobis non satisfecit, nihil nobis relinquitur, quam ut ipsi satisfaciamus. Cum autem in statu naturae corruptae hoc praestare nemo possit, revera adest status, ut dicitur, impossibilitatis moralis.

Haec igitur erat quaestionis summa: Quid valeat in opere salutis, Lex an gratia? — opus hominis an fides in Christum? — homo an Deus? Nemo negabit, hanc quaestionem esse longe maximam, doctrinae christianae hucusque propositam. — Jam Paulus Apostolus, cujus erat, fidem *catholicam* i. e. omnibus necessariam et omnibus sufficientem *practice* propagare, hanc etiam *theoretice* defendendam suscepit. Libentissime hoc *praesens* apud Galatas fecisset (4, 20), sed cum Ephesi detineretur, epistolam ad illos misit.

3. Ex quo patet epistolae *consilium et dispositio*. Consilium in eo est, ut perniciosam doctrinam de necessitate Legis observandae explodat et a radice usque ad fructus tum theoreticos tum practicos persequatur.

Ut hoc efficiat, primum est, ut auctoritatem suam apostolicam defendat; deinde ut doctrinam de relatione Legis ad gratiam clare exponat; denique, ut consectaria erroris moralia exhortando tollat.

§. 46.

Argumentum.

Argumentum epistolae continet introitum, epilogum et duas partes.

Introitus (I, 1 — 9) complectitur

a) inscriptionem et salutationem, primarias ideas epistolae jam praemonstrantem (1—5);

b) occasionem et thema epistolae (6—9).

Pars prior (I, 10. — IV, 7) est *demonstrativa* seu polemico-dogmatica, et duas demonstrationes continet.

A. *De vero suo apostolatu* (I, 10. — II.). Se esse Apostolum verum Dei gratia et operatione, et non ab hominibus, *historice* demonstrat:

a) ex sua conversione et prima Petri visitatione (— 24),

b) ex missione sua ad concilium Apostolorum (II, 1—10),

c) ex increpatione Petri Antiochiae judaizantis (11—21).

B. *Veritas doctrinae suae de Lege et gratia* (III. — IV, 7) demonstratur quintuplici argumento:

a) ex donis Spiritus s. fide datis (III, 1—5);

b) ex promissa Abrahae benedictione (6—14);

c) ex notione testamenti (15—18);

d) ex natura Legis ejusque relatione ad fidem (19—29);

e) ex tota salutis oeconomia (IV, 1—7).

Pars altera (IV, 8. — VI, 10) est *commonitoria* et continet *dehortationem* et *adhortationem*.

A. *Dehortatio* a vita legali falsa, quae scilicet juxta Legem antiquam instituta est:

a) motiva mutuae charitatis inter Apostolum et Galatas;

b) motivum ex historia revelationis;

c) motiva ex consectariis erroris (IV, 7. — V, 12).

B. *Adhortatio* ad vitam legalem veram, juxta legem charitatis et Spiritus:

a) exhortatio ad dilectionem;

b) ad ambulandum juxta Spiritum et non secundum carnem;

c) monita specialia (V, 13. — VI, 10).

Epilogus (VI, 11 — 18) continet brevem recapitulationem cum subscriptione finali.

§. 47.

Epistolae ad Galatas authentia et momentum.

1. Ecclesia hanc epistolam semper inter *homologumena* habuit. Porro adsunt testes antiquissimi. Ut taceamus Patres apostolicos, apud quos allusiones quaedam reperiuntur, Justinus (cohort. ad Graec.) peccata enumerat V, 20 perstricta. *Irenaeus* plura ex hac epistola nominatim citat. *Tatianus* versu VI, 8. contra matrimonium usus est.

Clemens Alex. (strom. l. 3): *Παῦλος Γαλατίαις ἐπιστέλλων φησί: Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω λ.* (4, 19). *Tertullianus* (adv. Marcion. l. V.): „Principalem adversus Judaismum epistolam nos quoque confitemur, quae Galatas docet.“ — Denique rationum internarum, historiae, doctrinae, styli, tanta vis est, ut nemo prudens usque hodie de authentia dubitaverit.

2. *Momentum* hujus epistolae *pro tempore apostolico* in hoc potissimum erat, quod est juxta effatum Tertulliani „principalis adversus Judaismum.“ Duplex hac in re error declinandus erat: Judaizantium, Legem etiam fidelibus imponere volentium; et eorum gentilium, qui omnem legis Mosaicae significationem etiam ante Christum negabant. S. *Paulus* jam hac epistola Ecclesiae catholicae viam mediam et rectam ostendit, dum pari energia vim salutiferam Legis post Christum negat, et vim Legis typicam et paedagogicam ante Christum demonstrat.

3. *Momentum universale* hujus epistolae facile cernitur ex historia ecclesiastica, praecipue saec. V. et XVI., tempore Pelagianorum et Reformatorum, quando primaria lis erat de fide et operibus. — Hodie contentio antiqua de lege Mosaica et fide Jesu Christi utique abolita est, pari modo lis de fide et operibus composita censeri potest. Manet tamen momentum epistolae et quidem maximum, contra errorem principalem nostri aevi, qui *rationalismi* aut *indifferentismi* nomen gerit et docet, quemvis hominem honeste viventem coram Deo justum esse, cujuscumque sit fidei. — Momentum epistolae porro dogmaticum et practicum per se patet.

4) et 5) Duae epistolae ad Corinthios.

§. 48.

Corinthi ecclesia; tempus et locus epistolarum.

1. Corinthus, bimaris ab Horatio dicta, quod media inter mare Aegeum et Jonium sita erat, olim caput totius Achajae, a Mummio penitus eversa (146 a. Chr.), postea a Julio Caesare per colonos Italos resuscitata brevi priorem florem recuperavit, celebris artibus, eloquentia, templis, sed et dissoluto vivendi genere (*κορινθιάζειν* = lascivere). — Paulus anno 52. Athenis huc venit et plus anno cum dimidio moratus est. Praedicavit primum in Synagoga, sed Judaeis

contradicentibus et blasphemantibus se ab iis separavit et ad gentes se convertit. Quo facto in ecclesia Corinthiaca *gentiles — Christiani praevalebant*, quamvis Judaeo — Christiani non omnino abessent. — Ecclesia Corinthiaca porro inter ecclesias Graeciae occidentalis *ad primum locum evecta* est, ut metropolis revera dici possit. Hoc patet ex longiore Apostoli commoratione et labore; ex revelatione ipsi a Domino facta (Act. 18, 9. 10); ex directione aliarum ecclesiarum ex hac urbe, e. gr. epistolae ad Thessalonicenses; denique ex mirabili hujus ecclesiae incremento. Hoc opere completo Apostolus Hierosolymam se contulit et per superiores Asiae minoris partes *Ephesum* descendit, ubi ab anno 54. usque 57. mansit.

2. Dum Ephesi ageret, curam ecclesiae Corinthiacae non omisit. Dicunt nonnulli (ex locis II. Cor. 2, 1; 12, 14; 13, 1), eum intra hoc tempus semel Corinthios visitasse, quod tamen dubium est (cf. II. Cor. 1, 15. et alibi). Epistolam autem scripsit priorem ea, quam nos primam vocamus, nunc deperditam (cf. I. Cor. 5, 9. sq.). Sub finem hujus temporis nuntios novos eosque plures accepit de statu ecclesiae Corinthiacae per famam publicam (ὅλως ἀκούεται. I. ep. 5, 1), per familiam Chloës cujusdam (I. Cor. 1, 11), per epistolam ecclesiae cum legatione (I. Cor. 7, 1). Epistola prima jam est responsum ad istos nuntios. Misit eam per legatos revertentes, quibuscum Timotheum et Erastum ablegavit (Act. 19, 21; I. Cor. 4, 17; 16, 10.). Cum vellet ipse usque ad pentecosten Ephesi manere et ibi exspectaret Timotheum reducem (I. Cor. 16, 8 — 11), patet, eum hanc epistolam circa pascha anni 57. misisse (cf. I. Cor. 5, 7. 8.).

3. Post Timotheum etiam *Titum* Corinthum ablegavit, et deinde Epheso profectus est, Troade Titum exspectans (II. Cor. 2, 12, 13.). Cum non veniret, in Macedoniam abiit, ubi tandem Titum convenit, qui de rebus Corinthiacis ipsi nuntiavit (II. Cor. 7, 6. sq.). *Ibi alteram scripsit epistolam* eodem anno 57., praenuntiam sui ipsius adventus.

§. 49.

Status rerum primam epistolam causans; ejusdem consilium.

1. *Paulus* dum Corinthi ageret, summa cum simplicitate vitae et doctrinae conversatus est, omnia humana adminicula respuens, ut

Evangelium revera opus Dei et non hominum videretur, „ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei“ (I. Cor. 2, 5). — Cum opus suum consummasset, priusquam Ephesi sedem figeret, inde *Apollo* quidam Alexandrinus Corinthum venit, vir eloquens, potens in Scripturis et spiritu fervens (Act. 18, 24. sq.), qui eodem quidem spiritu (I. ep. 3, 6), sed forma magis speciosa opus Apostoli promovebat. — Supervenerunt deinde etiam *doctores quidam Judaici* cum litteris commendatitiis, quos Paulus vocat pseudo-apostolos transfigurantes se in Apostolos Christi (II. ep. 11, 13), turbantes vineam, quam non plantaverant. Hi partes ecclesiae Judaicas post se trahentes ad majorem auctoritatem acquirendam *Petri* nomen prae se ferebant et hoc ipso signum scissionum dederunt. Mox enim tota ecclesia in quatuor partes divisa dissidebat, unoquoque dicente: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego vero Christi (I. Cor. 1, 12). Hac ratione elementum humanum miscebatur divinis, naturale supernaturalibus, graeco-gentilitium iis, quae sunt Christi.

2. Hoc elementum mere naturale atque humanum jam ceu fermentum malum agitabat ecclesiam, et periculum erat, ne opus divinum a fundamentis usque ad apicem corrumperetur. Invaserat enim fundamentum fidei, vitam moralem, cultum divinum, imo et dogma principale fidei christianae.

a) Periclitabatur *fundamentum fidei*, dum revelationem positivam et objectivam tractabant ceu institutionem humanam, fidem confundentes cum gnosi. Ita doctrina Evangelii ipsis erat quasi nova philosophia; doctor quasi sapiens hujus mundi; Ecclesia quasi schola humana; denique Apostolus haud majoris auctoritatis, quam paedagogus quidam inter paedagogos.

b) Periclitabantur *limites vitae moralis*, dum scelera consueta, quamvis Christiani, haud satis fugerent. Sic incestuosum, quamvis moniti, ex ecclesia non ejecerant; lites de rebus terrenis coram tribunali gentium immisericorditer agebant; multaque alia operabantur nomine christianae libertatis, quae potius libertinismum et effrenationem gentium, quam vitam evangelicam redolebant, inprimis fornicationem.

c) Periclitabatur vita moralis *intra limites christianae libertatis*, aliis laxius, aliis cum rigore agentibus et utrisque se mutuo

damnantibus et scandalizantibus. Duae inprimis hujus generis quaestiones agitabant ecclesiam, de quibus Apostolum per literas consulebant: α) de virginitate et matrimonio, β) de idolothytis. Sed et alia consimilia erant componenda.

d) Periclitabatur *ordo positivus cultus divini*, impetu naturae harmoniam gratiae perrumpente. Sic mulieres deposito velo libertatem virorum in ecclesia affectabant. Sic cultus Eucharistiae in commessationem profanam degeneraverat. Sic ordo et aestimatio charismatum fluctuabat et eorum usus in ecclesia talis erat, ut esset potius confusio spiritualis, quam harmonia, qualis esse debebat.

e) Ubi fermentum mere naturale et revera gentile, ut vidimus, omnes vitae ecclesiasticae partes infecit, mirum non est, dogma principale gentilitatis denique apparere, *negationem vitae venturae seu resurrectionis mortuorum*, quod quidam audacissimi proferebant.

3. Talis erat status rerum Corinthi, cujus *naturam* breviter sic possumus definire: Ordo supernaturalis infringitur per inobedientiam naturae. Intellectus humanus recusat subjacere revelationi; voluntas excutit legem; spiritus subjectivus et privatus turbat ordinem objectivum. — *Sequelae* facile intelliguntur. Ubi ejusmodi spiritus effrenationis dominatur, Ecclesiae unitas persistere nequit; et in omnis generis haereses, scissiones et sectas via lata patet. Hoc periculum Corinthi eo magis imminebat, quo potentiores erant spiritu, divites in omni verbo et in omni scientia (I. Cor. 1, 5).

Hunc nodum solvere nonnisi magnus ille Apostolus valebat, et quidem praesens apud illos. Prius tamen hanc dedit epistolam, quae sibi viam praepararet.

4. Ex dictis *scopus* epistolae facile indagari potest. Consilium proximum est, ordinem turbatum restituere. Ut hoc assequatur, opus est reprimere omnem humanam arrogantiam, ne divinis se ingerat; spiritum subjectivum domare et subjicere auctoritati et institutioni divinae; breviter: praedicare *obedientiam et subordinationem ecclesiasticam*.

§. 50.

Argumentum.

Praeter introitum et postscriptum juxta materiam in quinque circiter partes dividi potest.

Introitus (I, 1 — 12) post inscriptionem et salutationem Deo gratias agit de statu ecclesiae praesenti, bona sperans de futuro; subjungit thema et occasionem scribendi, schismata scilicet et studium ea componendi.

I. pars (I, 13. — IV.) contra naturalismum in conceptu fidei christianae demonstrat ejus supernaturalitatem per omnes partes eam constituentes:

1) *Doctrina Evangelii* non est philosophia juxta sensum hujus mundi; imo gloriosum ejus contrarium. c. I.
2) *Doctor christianus* non est sapiens mundi, sed doctus Spiritus s. c. II.
3) *Ecclesia* non est schola disputationis, sed plantatio Dei et templum Dei. c. III.
4) *Applicatio* ad se suosque cooperatores; quos ne nimium extollant, neve contemnant, sed existiment ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. c. IV.

II. pars (V. VI.). Correptio apostolica naturalismi carnalis sub specie christianae libertatis:

1) Excommunicatio incestuosi. c. V.
2) Invehitur in lites coram tribunali saeculari. VI, 1—8.
3) Perstringit scelera quam plurima eaque ut aliena regno Dei expellit. 9—20.

III. pars (VII. — X.). Directio apostolica in rebus christianae libertatis. Quaestiones propositas casuistice magis, quam systematice solvit, sed et principia intexit, juxta quae in similibus procedendum:

1) Quaestio de virginitate et matrimonio. c. VII.
2) Quaestio de idolothytis et quibusdam cohaerentibus. c. VIII. — X.

IV. pars (XI. — XIV.). Repressio naturalismi in conventibus religiosis, et divini ordinis restitutio:

1) Subordinatio mulierum per impositum velamen. XI, 1—16.

2) Digna Eucharistiae celebratio. 17—34.

3) Ordo internus et externus charismatum. XII. — XIV.

V. pars (XV.) Defensio doctrinae apostolicae de resurrectione ejusque nexus cum tota doctrina et vita christiana, et quidem

1) ejusdem veritas. 1—34.

2) ejusdem modus. 35—58.

Postscriptum (XVI.): Commendatio collectae; quaedam personalia; salutationes; subscriptio finalis.

§. 51.

Rerum situatio pro altera epistola; ejus consilium.

1. Titus, ut vidimus, ab Apostolo Corinthum missus fuerat, sine dubio, ut effectum epistolae primae consideraret et promoveret, dum ipse per Macedoniam iter faciebat, ubi Titus eum convenit. Ex relatione Titi Apostolus didicit, effectum epistolae diversum fuisse in majorem ecclesiae partem et in adversarios cum suis asseclis. In illis enim epistola excitaverat desiderium, fletum, aemulationem pro Apostolo (VII. 7), et plerique (οἱ πλείονες 2, 6) praestabant obedientiam. Hoc videntes adversarii illi Judaici omnia tentabant, ut Apostoli auctoritatem imminuerent, suam autem promoverent. Hinc primo eum accusabant levitatis et instabilitatis, quod saepius pollicitus venire promissis hucusque non stetisset. Haec accusatio, ut cernitur, carpit ejus agendi modum sive characterem. — Porro accusabant eum arrogantiae, quippe qui, quamvis homo infirmus, tanta usus esset fiducia (παῤῥησία) et auctoritate. Hoc eo tendit, ut auctoritas ministerii apostolici parvipendatur. — Denique omni modo studebant detrahere Pauli dotibus, meritis, laboribus etc., ut illum deprimerent, se autem exaltarent. Hoc personam Apostoli ferit.

2. Haec omnia aliud non volunt, nisi *Apostolum omni divina humanaque auctoritate privare* et ecclesiam a legitimo antistite dimovere ad eos, qui se ipsos intruserunt. Et revera aliquos sceleribus consuetis non renuntiantes sibi adjunxerant, qui auctoritatem Apostoli spernebant. Tali modo aliud et quidem *tristissimum schisma* minitabatur, quod Apostolus reprimere omni cura et fortitudine debebat. Ut hoc efficeret, praesentia ejus opus erat, et revera Corinthum ire

se accingebat. Sed pertimescens, ne illos inveniret, quales non volebat (12, 20); ne tristitiam super tristitiam haberet (2, 3), epistolam praemittebat, ut non durius agere praesens cogeretur (13, 10).

3. Ex quibus *consilium* epistolae erui potest, scilicet reprimere accusationes et arrogantiam adversariorum et suam defendere auctoritatem. Sicuti prioris epistolae scopus primarius erat: inculcare obedientiam ecclesiasticam, in hac potissimum agitur *de ecclesiastica auctoritate*. — Accedunt nonnullae intentiones practicae.

§. 52.

Argumentum.

Praeter introitum et conclusionem tres circiter partes distingui possunt.

In *introitu* (I, 1—7) post consuetam salutationem tribulationes et consolationes suas commemorat, non ut suas solum, sed simul ut Ecclesiae saluti et solatio servientes.

Pars prima (I. — V.) *apologetica* potest appellari, quia hic Apostolus contra accusationes adversariorum se defendit.

1) Defendit *suum agendi modum* (characterem) a calumnia levitatis, quippe qui propositum veniendi non mutasset, sed prorogasset, et hoc non ex instabilitate, sed ut illis parceret. I. II.
2) Defendit *auctoritatem ministerii Novi Testamenti*, quod multo praelarius est ministerio Veteris Testamenti; non obstante fragilitate humana, cum ista auctoritas non sit carnalis, sed supernaturalis. III. — V.

Pars altera (VI. — IX.) est *paracletica*, quia Apostolus jam auctoritate sua vindicata verba facit ad majorem et meliorem ecclesiae partem, adversariis missis; et quidem

1) paraclesis (exhortatio) generalis: verus Dei minister eos exhortatur, ut sint vere populus Dei. VI.
2) communicatio laetitiae, quam habuit ex relatione Titi. VII.;
3) commendatio collectae pro fratribus in Palaestina. VIII. IX.

Pars tertia (X. — XII, 18) est *polemica*, quia Paulus hic cum adversariis agit eorumque jactantiam et detractiones personam ipsius

laedentes fortiter reprimit, glorians adversus eos de apostolica potestate, de gratuita Evangelii praedicatione, de suis dotibus et laboribus, denique de visionibus.

Conclusio partis polemicae et totius epistolae (XII, 19. — XIII.), minitans pertinacibus, exhortans reliquos.

§. 53.

Utriusque epistolae genuinitas et momentum.

1. Ecclesia utramque epistolam τοῖς ὁμολογουμένοις semper adnumeravit. — Inter testes pro priore antiquissimus et memoratu dignissimus est *Clemens Rom.* (I. ep. ad Cor. c. 47): *Ἀναλάβετε τὴν ἐπιστολὴν τοῦ μακαρίου Παύλου τοῦ ἀποστόλου ... ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν περὶ αὐτοῦ τε, καὶ Κηφᾶ τε, καὶ Ἀπόλλω λ.*

Secundam (missis allusionibus antiquioribus) nominatim citant: Irenaeus (adv. haeres. l. 3. c. 7.), *Clemens Alex.* (strom. lib. 4.). Porro indicia interna historiae, styli, doctrinae tanti sunt ponderis, ut ne minimum quidem dubium admittant.

2. Momentum harum epistolarum *pro tempore apostolico* primum cernitur ex momento *ecclesiae*, ad quam directae sunt, quae erat metropolis totius Graeciae occidentalis. Deinde ex momento *quaestionis*, quae ibidem emerserat, de totius Ecclesiae ordine, quem effrenis animorum libertas penitus disturbare conabatur. Hoc respectu epistolae istae possunt considerari ut principales *contra Hellenismum*, quemadmodum ep. ad Galatas est principalis adversus *Judaismum*. — Denique momentum cernitur ex ratione, qua Paulus *quaestionem illam maximam solvit*, stabiliendo scilicet duos cardines ordinis ecclesiastici, *obedientiam* et *auctoritatem*.

3. In hoc etiam *momentum universale* epistolarum nostrarum situm est. Pro omni tempore locoque in his limites non transgrediendi positi sunt inter libertatem et obedientiam, inter spiritum privatum et sanctam auctoritatem. Utrique jus suum in Ecclesia tribuitur, abusus autem praeciditur.

4. Sed et sub omni respectu sunt *monumenta spiritu apostolico dignissima;* prima opus Apostoli practicum principale, altera

lumine spirituali et sublimitate idearum nulli cedens." — Porro sunt fontes *vitae doctrinaeque* christianae ditissimi.

6) *Epistola ad Romanos.*

§. 54.

Roma gentilis; ecclesia Romana; Pauli epistola ad eam.

1. Roma erat *metropolis politica* orbis terrarum, quo omnium gentium viae, quasi ad commune centrum, convergebant, omnium opes confluebant et unius hominis potestati universale subjacebat imperium. Pariter erat *metropolis gentium religiosa,* quae omnium superstitiones non modo tolerabat, sed ex professo comportabat et fovebat, ita ut revera paganismi Pantheon appellari posset. *Vitam* quod attinet, eandem praeseferebat indolem. Quidquid in gentibus erat magnum et praeclarum, sed et quidquid erat pestiferum, huc commeaverat in ingentem colluviem, ut quovis respectu cor et caput paganismi ibi deprehenderes.

2. Non minoris momenti erat destinatio *Romae christianae.* Quemadmodum enim idololatria Romana mundo gentili praesidebat, ita *ecclesia Romana* futura erat princeps Ecclesiae catholicae in orbe terrarum. Hanc destinationem praeparabat et praesignabat situs rerum naturalis. Ubi enim erat summa gentium, ibidem religioni christianae instabat acerrima pugna et gloriosissimus triumphus, exinde omnes gentes illustraturus. Hujus destinationis fundamenta posuerunt primarii Apostoli, s. Petrus incipiendo, s. Paulus complendo. Hanc denique ecclesiae Romanae ipsius praestantia bene meruit. Nam primis jam temporibus omnes reliquas ecclesias vincebat vera catholicitatis nota (unitate scilicet fidelium ex Judaeis et gentibus) et omnimoda interna perfectione.

3. Restat, ut referamus, quo tempore et loco Paulus hanc ecclesiam respicere coeperit et epistolam ad eam direxerit. Hoc tum demum factum est, cum Epheso conversa Graecos Evangelio subjecisset et Orientem relicturus esset. „His expletis proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia et Achaja ire Hierosolymam“, dicens: „Quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam videre.“ (Act. 19, 21. anno 57). Et revera hoc consilio iter instituit in Graeciam et Achajam, et hiemem

sequentem *Corinthi* transegit. Ibi absque dubio epistolam ad Romanos scripsit, cum idem consilium uberius explicet Rom. 15, 24—26. et Phoeben sororem, quae est in Cenchris, commendet, per quam verosimiliter epistolam misit (16, 1).

§. 55.

Status ecclesiae Romae externus et internus; Pauli ad eam relatio; consilium epistolae.

1. De statu ecclesiae Romanae *externo* haec scimus. Juxta traditionem universalem per s. Petrum fundata est. Quod verosimiliter factum est anno 43., cum ex Judaea abiret in alium locum (Act. 12, 17); et exinde per annos 25 episcopatum tenuit (usque 68), quamvis non continuo Romae commorans. Cum Petrus adhuc anno 51. (in concilio Apostolorum) a Paulo ὁ ἀπόστολος τῆς περιτομῆς appelletur (Gal. 2, 8), ecclesia Romana ab initio maximam partem ex fidelibus Judaeis constare debuit. Prima tamen plantatio turbata est, cum Claudius Imperator „Judaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit" (Sueton. in Claud. c. 25), quo decreto etiam fideles Judaei emigrare cogebantur (anno 52.), quo Paulus Corinthi Aquilam et Priscillam invenit, „venientes nuper ab Italia, eoquod praeceperat Claudius discedere omnes Judaeos a Roma" (Act. 18, 2). Quo factum est, ut *fideles ex gentibus tantum Romae remanerent.* Hoc postea paululum mutatum est, cum Judaei paulatim Romam reverterentur, inter hos etiam Judaeo-christiani, e. gr. Aquila et Priscilla (Rom. 16, 3). Sed cum Judaei conventus agere prohiberentur et Judaei fideles a consortio infidelium abstinerent, ne iterum turbis implicarentur, facile intelligitur, a) Judaeos romanos communiter religioni christianae alienos mansisse, ut cernitur Act. 28.; b) ecclesiam Romanam circa annum 58., quo epistola scripta est, *complexam quidem fuisse fideles ex Judaeis et gentibus*, sed *praevaluisse elementum gentile-christianum.* — Quod per epistolam ipsam confirmatur. Inter fideles fuisse aliquos Judaeos, facile cernitur ex quaestionibus in epistola propositis, quae accuratam Legis notitiam supponunt (cf. e. gr. 7, 1). *Majorem autem partem fuisse fideles ex gentibus*, cernitur inter alia ex 1, 13 ubi eos adnumerat gentibus, ex 11, 13 sq. ubi arrogantiam quandam et

gloriationem de electione ethnicorum et reprobatione Judaeorum reprimere cogitur.

2. Status ecclesiae *internus* eo tempore, quo Apostolus dabat epistolam, erat praestantissimus. Gratias agit pro *omnibus*, quia fides eorum celebratur in universo mundo (1, 8). Pariter obedientia eorum divulgata est in omnem locum (16, 19). Certus est de ipsis, quoniam pleni sunt dilectione, repleti omni scientia (15, 14). Ex quo cernimus, in hac ecclesia factum esse, quod hucusque neque in Judaea neque in Graecia bene cesserat: *intimam scilicet conciliationem fidelium ex Judaeis et gentibus*, hoc praestantissimum Ecclesiae *catholicae* sigillum. In hac igitur ecclesia opus non erat, ut in reliquis, apostolica *correptione*, sed si quid opus fuit, hoc erat: confirmare, promovere, complere, quod tam bene coeptum erat.

3. Si inquirimus *relationem Apostoli ad ecclesiam Romanam*, vinculum aliquod particulare non intercedit, ut e. gr. ad Galatas, ad Corinthios, quorum pater spiritualis erat; sed *vinculum generale* inter Apostolum gentium et ecclesiam Orbis principalem. Propter hoc ministerium „Graecis et Barbaris, sapientibus et insipientibus se debitorem“ existimat; hoc ipsi inspirat desiderium, etiam Romanis evangelizare, ut aliquem fructum habeat in ipsis, sicut et in caeteris gentibus (1, 13—15). Hoc desiderium diu nutritum nec hucusque completum eo magis crevit, quo plura de praeclaro ecclesiae Romanae statu comperit, quo clarius destinationem ejus pro religione christiana praesagiebat, quo propius erat tempus, cum Romam non solum transeundo visurus esset, sed ibi apostolici laboris sui culmen ascensurus. Priusquam tamen *praesens* huic ecclesiae evangelizare et fructum aliquem inde colligere potest, eam praeparare per epistolam studet.

4. Statum ecclesiae et relationem Apostoli ad eam quasi occasionem objectivam et subjectivam considerare possumus et exinde *consilium* epistolae eruere. Ex utraque parte, ut vidimus, omnis causa specialis abest; nihil aliud Apostolum ad scribendum impellit, quam desiderium ex universali suo munere proveniens, alloquendi ecclesiam gentium primariam et fructum aliquem in ea habendi. Proinde etiam consilium epistolae non est speciale, sed *generale:* est summa quasi praedicationis Apostoli gentium ad Ecclesiae catholicae caput, ut eandem confirmet et incrementum ejus tum in scientia tum in virtute christiana

promoveat. Hoc consilium involvit partem theoreticam et practicam. *Theoretica* in eo consistit, ut Apostolus ecclesiae Romanae summa lineamenta Evangelii sui exhibeat (εὐαγγελίσασθαι 1, 15) et sic scientiam ejus in mysterio Christi perficiat. Evangelii s. Pauli substantia est: *fides Christi catholica* i. e. omnibus necessaria ad salutem et omnibus sufficiens. Hujus proinde explicationem a fundamentis usque ad culmina exspectare licet, si Apostolus vult evangelizare i. e. summam Evangelii proponere. Huic quaestioni generali plures inhaerent speciales, quae tunc temporis Romae aeque, ac in reliquis ecclesiis, fidelium animos commovebant, scilicet de gentilismo, Judaismo et utriusque relatione ad fidem; de natura et gratia; de libertate et gratia etc. — quae quaestiones *fundamentales* religionis christianae appellari possunt. — Sed non solum vult docere et illuminare, sed et *confirmare*, *exhortari* (στηρίζειν, παρακαλεῖν 1, 11. 12), quae est pars consilii *practica*. Confirmat autem Romanos in virtute christiana in genere, speciatim vero in unitate catholica, ut scilicet fideles ex Judaeis et gentibus se invicem suscipiant in charitate et pace.

§. 56.

Argumentum.

Epistola post introitum continet sectionem dogmaticam et practicam cum longiori epilogo.

Introitus (I, 1—15) incipit cum inscriptione seu apostrophe Apostoli gentium ad ecclesiam Romanam (1—7); sequitur contestatio desiderii erga eos, quod praesentem epistolam provocavit (8—15); v. 16. et 17. continent thema sectionis primae.

Sectio dogmatica I, 16. — XI.,
qua exponit: *Evangelium revera esse virtutem Dei omni credenti.* Hoc tribus partibus absolvitur:

I. *Praeparatio evangelica* (I, 18. — III, 20),
qua demonstratur: Extra Evangelium nulla salus. Damnantur nempe

1) *gentiles*, utpote sua culpa ingentibus erroribus et sceleribus immersi. I, 18—32.

2) *Omnes homines* scientes legem et non facientes. II.

3) Proinde et *Judaei*, qui Legem non compleverunt. III, 1—20.

Conclusio: **Omne os obstruitur, omnis mundus subditus est Deo, i. e. subjacet damnationi.**

II. *Expositio evangelica* (III, 21. — VIII.), qua demonstratur salus in Evangelio, quia „virtus Dei est omni credenti.“ — Praemittitur doctrina de salute seu justificatione per fidem et gratiam, ceu basis demonstrationis sequentis (21 — 30. 31 ?). Demonstratio autem duo complectitur: 1) quod et quomodo salus sive justificatio *objective* per Christum praestita sit; 2) quod et quomodo *subjective* in homine operetur.

1) *Justificatio objective considerata.*

a. *Veritas* justificationis per fidem, demonstrata ex s. Scriptura, cum adplicatione ad fideles (IV. — V, 11).

b. *Universalitas* et superabundantia gratiae, demonstrata ex comparatione culpae Adami primi cum merito secundi. (c. V. 12—21.)

2) *Justificatio subjective considerata.*

a. Exstirpatio peccati per gratiam Jesu Christi. (VI. VII.)

b. Plantatio justitiae in homine per infusionem gratiae et charitatis; ejusdem incrementum et perfectio usque ad clarificationem. (VIII.)

III. *Apologia evangelica* (IX. — XI.). Sic dici potest, quia objectionem contra universalitatem et efficaciam gratiae refutat et sic ideam cum vera rerum facie conciliat. Objici potest: Si gratia est universalis, qui fit, ut maxima pars Judaeorum excludatur? Apostolus jam demonstrat; hoc efficaciam gratiae non tollere, imo confirmare, et hac ipsa ratione *universum genus humanum gratiae* particeps fieri. Demonstratio sublimis et perdifficilis, quia profundissima divinae providentiae mysteria pandit, tria complectitur:

1) Exclusio Judaeorum gratiae *ex parte Dei* non est contraria. (IX, 1—29.)

2) *Ex parte Judaeorum* est juste merita, quia gratiae restiterunt. (IX, 30.— X.)

3) *Neque est universalis nec perpetua;* sed donec plenitudo gentium introierit, et tunc omnis Israel salvus fiet. (XI, 1—32.)

Concludit cum sublimi doxologia divinae sapientiae. (33—36.)

Sectio practica seu paracletica. (XII. — XV, 13.)

1) Exhortatio ad virtutem christianam in genere. (XII. XIII.)

2) Exhortatio ad unitatem catholicam, ut nempe firmiores et infirmiores, fideles ex gentibus et ex Judaeis se invicem suscipiant cum liberalitate et charitate. (XIV. — XV, 13.)

Conclusio (XV, 14. — XVI.) aliquantulum longior respondet initio epistolae et dignitatem ecclesiae Romanae admodum commendat.

§. 57.

Epistolae ad Romanos genuinitas et momentum.

1. Hanc epistolam esse Pauli et quidem principalem tot internis et externis constat argumentis, ut nemo sanae mentis hoc negaverit. Ex testibus antiquissimis sequentes commemorare sufficit. In Patribus apostolicis allusiones sat clarae inveniuntur. *Justinus M.* (dial.) peccata Judaeorum eodem modo enumerat, ac Rom. 3, 15—17. compositis psalmorum locis. Ecclesia *Viennensis* (Euseb. H. E. 5, 1.) de martyribus suis dicit, eos revera ostendisse, quod non sint dignae passiones hujus temporis etc. (Rom. 8, 18). Irenaeus (haer. l. 3. c. 16. §. 3) citat initium epistolae: Paulus scribens ad Romanos etc. Paulus Apostolus Jesu Christi etc.

2. Momentum epistolae in vita Pauli et pro tempore apostolico ex hoc facile cernitur, quod est eloquium Apostoli gentium ad ecclesiam principalem, summa theologiae, ut ita dicam, Apostoli. Porro quaestiones fundamentales religionis christianae tum versus Judaeos tum versus gentiles simul sunt absolutae et victrix christianismi causa utrisque opposita. — Quanti habita sit haec epistola per saecula sequentia, ex hoc satis cernitur, quod summorum hominum oculos animosque semper in se convertit et innumeros errores fregit.

3. Nobis momentum hujus epistolae maximum in eo situm est, quod est *apologia religionis christianae* semper invicta, nunquam exhausta. Ibi enim apparet fides in Jesum Christum in intima hominis

conscientia fundata; in operatione sua in singulis hominibus et in universo genere humano usque ad consummationem saeculi explicata et mirabili lumine spirituali illustrata. — Nec minus magnifica est tota epistolae dispositio et forma. — In ea deprehenduntur radices doctrinae dogmaticae, apologeticae, imo totius scientiae christianae, sicut et vitae christianae fundamenta firmissima.

B. Epistolae ex prima captivitate Romana.

§. 58.

Enumeratio epistolarum huc pertinentium et ordo.

1. Huc pertinent epistolae ad Ephesios, Colossenses, Philemonem, ad Philippenses et denique ad Hebraeos. Quatuor priores ex captivitate Romana scriptas esse, hisce ostenditur. In omnibus Apostolus *vinculorum* suorum mentionem facit; Ephes. 3, 1: *ὁ δέσμιος*; Col. 4, 3: *δι' ὃ (μυστήριον) καὶ δέδεμαι;* Philem. 9: *δέσμιος Ἰησοῦ Χριστοῦ;* Philipp. 1, 13: *δεσμούς μου φανεροὺς ἐν Χριστῷ.* — Porro epistolae ad Eph., Coloss. et Philem. *eodem* tempore scriptae sunt. Duas priores enim Apostolus per Tychicum mittit (Eph. 6, 21. 22; Col. 4, 7. 8.); tertiam affert Onesimus, servus Philemonis, Tychici in itinere comes (Col. 4, 9). In hac jam rogat Philemonem: „Para mihi hospitium; nam spero per orationes vestras donari me vobis" (v. 22). Mox igitur libertatem sperat; quod alio tempore quam sub finem primae Romanae captivitatis accidere non potuit. Hoc ergo tempore epistolae memeratae scriptae sunt. — In epistola ad Philipp. pariter se cito venturum esse sperat (2, 24), eodem igitur tempore data est — sub ver anni 63. — In epistola ad Hebraeos vincula non amplius commemorat, ita ut libertatem jam recuperasse videatur. Tamen adhuc in Italia moratur et iter parat in Orientem (13, 19. 23. 24). Paulo post igitur scripta est.

2. Ordo harum epistolarum, cum ejusdem paene sint temporis, juxta *locum* constitui debet. Jam ep. ad Eph. Col. Philem. eandem viam sequuntur in Asiam minorem, et inter se cohaerent. — Ep. ad Philipp. in Macedoniam dirigitur. — Ultimum et plane singularem locum, tum per materiam, tum per destinationem, occupat epistola ad Hebraeos.

3. Character communis harum epistolarum hic est, ut non tam sint fundamentales, quam *defensivae*, i. e. minus eo tendunt, ut doctrinas principales religionis et Ecclesiae nondum sat perceptas explicent, ut e. gr. ep. ad Galat. Corinth. Rom., et lectores iisdem imbuant; *sed* ut fideles in veritate et gratia ipsis tradita *retineant* et errorum, praecipue haereseos pericula repellant.

7) *Epistola ad Ephesios.*

§. 59.

Epistolae destinatio, occasio et consilium.

1. Quaestio de locali hujus epistolae destinatione instituenda est, quia non solum ad ecclesiam Ephesinae civitatis, sed ad plures dirigitur. Hoc rationibus internis et externis demonstratur. Interna hujus epistolae indoles tam *generalis* est habitus, ut Ephesios solos respicere non possit. Ephesi enim Paulus „per triennium non cessavit nocte et die cum lacrymis monens unumquemque“ Act. 20, 31; hic tamen loquitur: „si tamen (εἴγε ἠκούσατε) audierint de ministerio suo apostolico“. (3, 2. 3 sq.), nullam specialem salutationem subjungit etc. — Porro habebantur in antiqua Ecclesia exemplaria, quibus in inscriptione (1, 1) aberat vocabulum „Ephesi“, quod aliter declarari non potest, nisi quod plures ecclesiae epistolam sibi vindicabant. Denique Apostolus ad Col. 4, 16. scribit, ut epistolam scriptam ad Laodicensium ecclesiam et ipsi legant. Epistola autem ad Laodicenses nunquam extitit. Optime autem omnia conciliantur per suppositionem, epistolam, quae inscribitur ad Ephesios fuisse *encyclicam* ab Epheso usque ad Laodiceam et Colossas i. e. pro tota Asia proconsulari.

2. Situs rei ecclesiasticae, qui *occasionem hujus epistolae* constituit, proinde non solum ut erat Ephesi, sed in tota illa regione describendus est, et paene idem est pro epistola ad Coloss. Erat autem ista regio, ubi subtilis Graecorum cultura cum phantastica Orientis superstitione concurrebat, non exclusis Judaeorum doctrinis, fertilis ad omne bonum et ad omne malum. Paulus non omnes ecclesias ipse fundaverat, sed in metropoli diu et tanto cum fructu laboravit, ut religionis christianae victoria esset manifesta (Act. 19.). Posito hoc fundamento, cum ipse in Occidentem esset profecturus, ecclesiam commendavit

episcopis, ut ipsi vigilarent, magna pericula praenuntians: „Ego scio, ait, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi; et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa“ etc. (Act. 20, 29. 30). Quinquennium istud, quo Apostolus captivus tenebatur (57. vel 58. — 63.) erat *tempus probationis* pro ecclesiis. Revera enim interea intraverunt isti lupi rapaces et surrexerunt viri loquentes perversa, doctores scilicet falsi, praecipue per ecclesias orientales. Hac de re certior factus Apostolus statim decrevit huic periculo gravissimo occurrere. Misso igitur priori consilio eundi in Hispaniam, iterum in Orientem reverti statuit, sed praevium adhibuit remedium per epistolas.

3. Ut harum intentionem melius perspiciamus, doctores et doctrinas, quibus Apostolus restitit, accuratius cognoscere juvat. *Peccatum primum* hoc erat, ut homines absque auctoritate praesumerent locum Apostolorum usurpare et doctrinam revelatam emendare, — hoc aliud non est, nisi Verbo Dei verbum humanum velle substituere. Et revera afferebant „philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum et non secundum Christum“ (Col. 2, 8). Quoad *formam* ista philosophia erat nova quaedam mythologia i. e. fictiones phantasticae loco revelationis historicae. Inter *dogmata* eorum observare licet, quod dignitatem Christi, ut caput et principium omnis creaturae, imminuebant, et hierarchiam quandam Angelorum confingebant cum dignitate religioni christianae aliena. — *Cultum* quod attinet, Apostolus vituperat falsam humiliationem — ἐθελοθρησκείαν, ἀγγελοθρησκείαν. — *Vita denique moralis* duplici laborabat excessu: falsa ascesi et dissolutis moribus (Eph. 5, 12; Col. 2, 23). — Haec omnia eo tendunt, ut Verbo Dei doctrina humana, ut institutioni Dei placita hominum immisceantur, imo substituantur, *in quo consistit haeresis*. — Quodsi nomen et naturam hujus haeresis inquirimus, quidquam definitum non deprehendimus. Imo composita est ex elementis christianis, judaicis, ethnicis, graecis, orientalibus, et commentis privatis omnis generis. Revera possumus dicere, esse *communem sentinam omnis haereseos cujuscumque temporis et loci*, haeresin radicalem; ad hoc monstrum debellandum Apostolus se accingit.

4. Epistolae *consilium* igitur est, fideles contra pericula haereseos communire. Hoc vero magis positive, quam negative (polemice)

consequi studet. Omnes haeretici, quotquot fuerunt statim ab initio, fraudem callide occultabant, imò emendationem, profectum, perfectionem pollicebantur et hoc titulo simplices captabant. Jam Apostolus primo falsam perfectionis praetensionem explodit, dum *objectivam* religionis et Ecclesiae perfectionem ostendit, jam ab initio omnibus numeris absolutam, nec cujuscumque ulterioris perfectionis capacem. Cum vero falsa perfectionis species nusquam facilius subrepat, quam ubi vera perfectio scientiae et vitae deficit, Apostolus *ad veram perfectionem christianam* adhortatur, quae est *subjectiva* i. e. fidelium ipsorum in vera scientia et sanctitate vitae.

§. 60.

Argumentum.

Post inscriptionem v. 1, 2.

I. *introitus solemnis*, continens gratiarum actionem pro ineffabili benedictione religionis christianae, quae est benedictio Patris, Filii et Spiritus s. I, 3—14.

II. *Ecclesiae* naturam et superabundantem gloriam ipsis in memoriam revocat, cujus caput Christus, ipsa autem corpus ejus, ideoque una, sancta, catholica, apostolica, templum Dei et habitaculum Spiritus sancti. I, 15. — II.

III. Ut haeresi Ecclesiam, sic haereticis *Apostolus* se opponit, auctoritatem doctrinae et ministerii ipsis in memoriam revocans. III.

IV. Jam exhortatur ad *vitam christianam*, cujus partes praecipuae sunt: *unitas* (IV, 1—16) et *sanctitas* et quidem *sanctitas in genere* (IV, 17. — V, 20) et *sanctitas vitae domesticae* (V, 21. — VI, 9).

V. *Conclusio* est exhortatio pulcherrima ad pugnam christianam. 10—20. 21—24: commendatio Tychici, salutatio finalis.

8) Epistola ad Colossenses.

§. 61.

Ecclesia Collossensis; epistolae occasio, consilium, argumentum.

1. *Colossae*, quo epistola erat scripta, et Laodicaea, quo pariter erat destinata (4, 16) erant civitates Phrygiae. Paulus Phrygiam

saepius peragraverat, ecclesias istas autem ipse non fundaverat. Earum Apostolus erat Epaphras (1, 7); Marcus (4, 10) aliique collaboratores apostolici ibidem fuerant operati. Sed quamvis fundator non esset, tamen arctissime cum ecclesia Colossensium conjunctus erat. Epaphras ipsi erat „conservus charissimus“ (1, 7); Marcus per multum tempus ipsius comes; Philemon et Archippus, viri in ecclesia Coloss. principes, alter Apostoli συνεργός, alter συστρατιώτης (Philem. 1. 2). Quamvis ergo huic ecclesiae non ut pater, tamen praefuit ut Patriarcha, et ecclesia considerari potest ut *filialis*.

2. Status generalis ecclesiae, qui occasionem scribendi constituit, plane idem est, ac in epistola ad Ephesios; nisi quod hic quaedam circumstantiae speciales accedunt. Ex Colossensibus enim nuntius immediatus aderat Epaphras; ibi errores novatorum tum mythizantes tum judaizantes majores progressus fecisse videntur; denique Colossenses et Laodicenses Apostoli faciem non viderant. — Unde etiam *consilium* et dispositio epistolae ad Ephes. simillima, nisi quod habitus sit minus generalis, sed magis specialis et individualis.

3 *Argumentum*, simile priori epistolae, haec potissimum continet:

I. Inscriptio; introitus: gratiarum actio pro felici statu ecclesiae Colossensis. I, 1—8.

II. Ecclesiae essentia et qualitates; 9—23.

III. Apostoli ministerium et auctoritas. 24—29.

IV. Exhortatio ad tenendam veram doctrinam contra seductores. II.

V. Exhortatio ad sanctitatem. III. — IV, 6.

VI. Postscriptum, conclusio, personalia praecipue continens. (4, 7—18.)

§. 62.

Utriusque epistolae genuinitas et momentum.

1. Utraque epistola ab Ecclesia semper et ubique inter homologumena habebatur. Epistolae ad Ephesios jam *Ignatius* M. mentionem facit, et ipse ad Ephesios scribens: *Παύλου σύμμυσται* ... *ὃς ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ ὑμῶν μνημονεύει ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* (Eph. c. 12). — Ex epistola ad Colossenses *Justinus* M. Christum vocat *τὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως* (Col. 1, 15.). Ab *Irenaeo* et posthac utraque epistola saepissime nominatim citatur. — Contra haec

testimonia nihil valent aggressiones criticae modernae, quae modo illam, modo hanc, modo utramque rejicere ausa est.

2. *Momentum* harum epistolarum sat magnum est pro tempore apostolico et pro omni tempore. Quid enim profuisset, Apostolos posuisse fundamenta Ecclesiae, nisi eam contra falsam scientiam etc. defendissent? Hujus defensionis specimina egregia sunt epistolae nostrae. — Sed hoc valet pro omnibus temporibus; sunt enim palladium apostolicum contra haereses cujuscumque temporis et formae, *summa*, ut ita dicam, *contra haereticos* ab Apostolo ministrata Quando enim Apostolus communem haereseon fontem obstruxit, etiam rivulos quocumque tempore inde promanantes impedivit. Et hoc est pretium principale harum epistolarum. — Insuper praeclari sunt radii luminis apostolici, et amplissimum continent thesaurum scientiae et vitae religiosae.

9) Epistola ad Philemonem.

§. 63.

Hanc attulit Colossas Onesimus, Tychici comes, ut quasi sit appendix epistolae ad Colossenses. — Fuit autem Onesimus servus fugitivus Philemonis, quem Paulus Romae conversum domino suo remisit, addita epistola commendatitia. — Sicut occasio prodit cor tenerrimum Apostoli gentium, ita epistola ipsa plena est christianae urbanitatis et salis. —

10) Epistola ad Philippenses.

§. 64.

Philippensis ecclesia; ejus status; epistolae consilium.

1. Philippis, Romanorum colonia in Macedonia, Paulus primam in Europa ecclesiam fundaverat (Act. 16, 12 sq.). Alii operarii apostolici e. gr. Clemens (4, 3); Epaphroditus (2, 25) etc. opus compleverunt. Apostolus ecclesiam saepius inviserat, et Philippenses ipsi continuam Apostoli curam habuerant, sicut et Romam per Epaphroditum eleemosynam miserunt. Hunc jam cum epistola remittit, liberationem e vinculis exspectans. a. 63.

2. *Rerum status*, qui huic epistolae occasionem dedit, generatim erat admodum laudabilis; imprimis gratum affectum erga Apostolum

semper custodiebant, velut filii in patrem charissimum. Quaedam tamen erant circumstantiae internae et externae, quae Apostoli sollicitudinem excitabant. Videntur quidam humilitatis et obedientiae non satis fuisse memores, ita ut vinculum pacis aliquantulum periclitaretur (2, 2—4; 1, 2). Ab externis autem patiebantur persecutiones (1, 28—30) et infestationes malae doctrinae ex parte Judaeorum (III.). — Ex his Apostolus facile colligebat, quam necessarium esset ad confirmationem et profectum fidelium, ut ipse conservaretur (1, 24. 25) iisque auxilio veniret, quod et cito promittit (2, 24). Prius tamen sperat Timotheum mittere, filium et cooperatorem fidelissimum; et jam nunc Epaphroditum cum epistola praemittit.

3. Unde *consilium* epistolae facile cognosci potest. Est alloquium Apostoli, quo officium pastoris in gregem, patris erga filios charissimos explet; ut satisfaciat paterno affectui; ut eos consoletur, confirmet, ad verum profectum excitet, a periculis seductorum tueatur. — Sicut relatio patris ad filios est intima et plane naturalis, ita et structura et dispositio epistolae omni arte caret et plane simplex est.

§. 65.

Argumentum genuinitas, momentum epistolae.

1. Post introitum, qui continet contestationem gaudii, charitatis etc. (I, 1—11), hae potissimum materiae tractantur:

I. Res concernentes *Apostolum* et eventum captivitatis (12—26).
II. Confirmatio et exhortatio Apostoli praecipue ad sensum humilitatis, proposito exemplo Jesu Christi (27. — II, 18).
III. Sollicitudo regiminis Apostoli, missis Timotheo et Epaphrodito (19—30).
IV. Apostoli persona et exemplum contra seductores judaizantes (III.).
V. Exhortatio repetita ad singulos et ad omnes (IV, 1—9).
VI. Gratiarum actio pro iis, quae miserant ad sustentandum Apostolum (10—20).

Concludunt salutationes et benedictio (21—23).

2. De *authentia* epistolae in Ecclesia nunquam dubitatum est, nec desunt testes antiquissimi. Jam *Polycarpus* scribens ad Philippenses epistolam aperte commemorat: „Paulus ... qui cum e[illegible] [illegible]s ..

firmiter docuit verbum veritatis; qui et *absens vobis scripsit epistolas*" etc. — Ecclesia Viennensis de suis martyribus scribit, eos revera Christum imitatos fuisse, „qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est" etc. (2, 6 sq.). *Irenaeus* et posteriores omnes epistola hac nominatim usi sunt.

3. Haec epistola magni pretii est inter caeteras Apostoli, quod novam apostolici muneris in defendendis ecclesiis partem nobis ostendit. Ubi loquitur ad ignotos, ut partim in epistola ad Ephesios et Colossenses, *auctoritate apostolica* et gnosi magis utitur. Hic autem loquitur pastor ad gregem, pater ad filios, qui non tam auctoritate, quam *persona* sua et paterno affectu vim in animos exercet. — Sed et pro omni tempore epistola nostra repraesentat *imaginem apostolici pastoris*, qui plenus est sollicitudinis, charitatis et gravitatis. Insuper permulta scientiae et vitae christianae adminicula subministrat. Vid. e. gr. locum celeberrimum (2, 6—11).

11) Epistola ad Hebraeos.

§. 66.

Ad quos scripta sit, et qua lingua.

1. Scripta est, ut omnes N. T. libri, ad Christi fideles. — Porro inscriptio antiquissima nominat *Hebraeos*; qui non sunt Judaeo — Christiani in dispersione, sed degentes in Palaestina et lingua hebraica tanquam vernacula utentes. Hoc praeter nomen demonstrat eorum status ecclesiasticus. Nullum enim occurrit vestigium, eos mixtos esse fidelibus ex ethnicis, omnia vero demonstrant ecclesiam pure judaicam, qualis extra Palaestinam vix alicubi extitit. Porro idem apparet ex accurata, quae supponitur, notitia loci sancti et cultus levitici (cf. c. IX.), quae praeter Hierosolymam ejusque vicinitatem nusquam haberi poterat. Denique specialia quaedam ecclesiae Hierosolymitanae optime conveniunt. Jubentur meminisse gloriosi exitus praepositorum suorum (13, 7), quorum tres martyrium subierant: *Stephanus, Jacobus major* et *Jacobus minor*. Commemorantur certamina, passiones, tribulationes, rapinae, quas prioribus diebus sustinuerint (10, 32. 33), quamquam hucusque non usque ad sanguinem restiterint (12, 4). — Tantum est porro apostasiae periculum, tanta inclinatio revertendi ad Judaismum, qualis

extra Palaestinam cogitari vix potest. Traditio Veterum etiam plerumque Palaestinenses nominat.

2. Cum igitur scripta sit stricte ad Hebraeos, plurimi etiam arbitrati sunt, eam lingua hebraica exaratam fuisse, tum veteres tum recentiores. Quod falsum est. Nil enim in ipsa linguam hebraicam sapit, omnia vero sunt bene et originarie graeca, imo ἑλληνικωτέρα, ut dicit Origenes, reliquis Pauli epistolis. Hoc imprimis monstrant citationes ex V. T., quae omnes sunt ex versione LXX; imo argumentationes, quae nonnisi in hac versione fundamentum habent; e. gr. 9, 15—17: διαθήκη = testamentum; 10, 5: corpus aptasti mihi (ex ps. 40, 7, ubi hebraicum habet: aures patefecisti mihi).

§. 67.

Auctor et auctoritas, tempus et locus.

Cum epistola sit anonyma, ex ejus indole et ex traditione solum auctorem definire possumus.

1. Si epistolam ipsam inspicimus, multa occurrunt, quae Pauli spiritum atque calamum prodere videntur. Sublimitas doctrinae omnino Apostolo digna est. Quae continet de typico momento cultus Mosaici, de persona Christi, de effectu sacrificii in cruce oblati, de justificatione ex fide etc., omnia bene concordant cum Pauli doctrina in reliquis epistolis deposita. Nec desunt multa, quae phraseologiam et stylum Pauli redolent. — Tamen confitendum est, esse permulta, quae a Pauli ratione abhorrent. Quae Apostolus alias contra judaizantes afferre solet, hic fere desiderantur, alias non usitata proferuntur; typologia apparet audacior etc. — Formam quod attinet, exordium et conclusio ab aliis epistolis multum differt; epistola ipsa homiliae, quam epistolae similior; dialectica minus acuta, stylus denique uberior, ornatior et majori cura elaboratus. Ex interna igitur indole quaestio non solvitur, sed ad traditionem remittitur.

2. Pariter etiam traditio non omnino consentit. Dum enim Ecclesia graeca et orientalis Paulum auctorem semper affirmavit, Ecclesia Romana diu haesitavit, donec eandem sententiam amplecteretur, ut breviter ostendemus. — Testimonium antiquissimum reddit *ecclesia Alexandrina*. *Pantaenus* causam tantum inquirit, cur Paulus, utpote auctor epistolae

ad Hebraeos, eidem nomen suum non praefixerit (Euseb. H. E. VI, 14). *Clemens* Paulo eam attribuit, hebraice scriptam, a Luca in graecum translatam (Ibid.). *Origenes*, quanquam styli diversitatem optime agnoscit et demonstrat, Paulo eam nequaquam abjudicat. „Non enim absque causa, inquit, Veteres ut Pauli eam tradiderunt (οὐ γὰρ εἰκῆ οἱ ἀρχαῖοι ἄνδρες ὡς Παύλου αὐτὴν παραδεδώκασι); quis vero scripto conceperit eam, Deus verum novit, aliis Clementem Romanum, aliis Lucam dicentibus“ (Eus. H. E. VI, 25). — Ecclesiae graecae testis gravissimus est Eusebius, qui 14 Pauli epistolas homologumenis annumerat, quamquam contradictionem quorundam (τινές) contra ep. ad Hebr. non ignorat (H. E. III, 3); cui omnes Patres graeci assentiunt. — *Ecclesia syriaca* eam ab initio in versione Peschito habuit. Verissimum igitur est testimonium Hieronymi respectu dictarum ecclesiarum: „Illud nostris dicendum est, hanc epistolam, quae inscribitur ad Hebraeos, non solum ab ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi, licet plerique (scilicet Latini) eam vel Barnabae, vel Clementis arbitrentur“ (Epist. ad Dardanum 129).

Longe alia fuit causa epistolae *in Ecclesia Romana*. Quamquam enim primis temporibus *Clemens* et *Irenaeus* eadem usi sint (an Pauli nomine, nescimus), postea canonica auctoritate excidit. *Canon* antiquissimus (fragment. Murator.) Ecclesiae Romanae eam non nominat. *Cajus* presbyter (saeculi 2), teste Eusebio, eam rejecit. Nemo scriptorum antiquissimorum eam citat, nisi *Tertullianus*, et hic Barnabae nomine. „Exstat, inquit, Barnabae titulus ad Hebraeos“ etc., ex quo citat Hebr. 6, 4—8. (De pudicit. c. 20.)

Ita res permansit, usque ad concilium Nicaenum (a. 325) vel aliquo tempore post, ita ut Hieronymus dicat, esse *consuetudinem Latinorum*, eam non suscipere inter Scripturas canonicas. — Paullatim tamen ejus auctoritas restituta est, ita ut Hilarius, Lucifer, Ambrosius aliique eadem ut Pauli uti minime dubitarent. *Hieronymus* porro nequaquam dictam Latinorum consuetudinem, sed „veterum scriptorum auctoritatem“, ut dicit, secutus, eam ut canonicam recepit. Denique per concilium Carthaginense III. (a. 397) et V. (419), s. *Augustino* patrocinante, solemniter in canonem recepta est, quo facto lis demum exspiravit in Ecclesia catholica.

3. Ex dictis patet: a) auctoritatem epistolae canonicam, quod nempe sit inspirata et a viro apostolico, firmam stare; b) Paulo Apostolo eam tribui posse et debere; c) dubium autem esse, num Paulus immediate et ex omni respectu, materialiter et formaliter, auctor sit habendus. Hac de re traditio fluctuat, dum alii Paulum quidem auctorem, alium autem translatorem nominant; alii Paulo ideas tribuunt, alteri cuidam formam; alii denique Barnabam inferunt. Maxime verosimilis videtur hypothesis *Origenis*, qui dicit, sibi videri cogitata (τὰ νοήματα) quidem esse Apostoli; dictionem vero et compositionem alicujus discipuli. Quis jam iste fuerit, num Lucas, an vero Clemens seu Barnabas? — „Deus scit", nos vero *certo* eruere non possumus.

4. Cum epistola quoad rem, ut vidimus, Paulo Apostolo tribuenda sit, quaeritur, *quo tempore et loco* scripta fuerit. Scripta est in *Italia* 13, 24: „Salutant vos de Italia fratres" (οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας); vix autem Romae, cum hujus ecclesiae mentio non fiat. V. 23. commendat Timotheum, „cum quo, ait, si celerius venerit, videbo vos". V. 18. 19. Hebraeorum orationem implorat, „quo celerius restituar vobis". Scripta ergo est, quo tempore Paulus ex vinculis jam liberatus erat et profecturus in Orientem, sed impedimentis quibusdam adhuc in Italia retineretur; i. e. circa aestatem anni 63.

§. 68.

Epistolae occasio et consilium.

1. Universa Judaeorum gens non est conversa; tamen tantus eorum numerus, ut Paulo Hierosolymis praesenti diceretur: „Vides, quot millia (πόσαι μυριάδες) sunt in Judaeis, qui crediderunt, et omnes sunt aemulatores legis" Act. 21, 20. Eorum episcopus, Jacobus minor, ipse legem adeo colebat, ut a Judaeis *Justi* cognomen acciperet. Similiter omnes quidem fide interna in Jesum Christum a Judaeis differebant, quoad ritus externos autem se non separaverant. — Huic inclinationi jam per se periculosae novum alimentum ministravit zelus nationalis, seditionem adversus Romanos praecedens, qui durante Pauli captivitate sub Procuratore Festo magis magisque effervescebat. Is duplici ratione fidei in Jesum Christum periculum attulit, moribus paternis scilicet et cultui antiquo novam gloriam creavit, et vim ad

alliciendos animos, Christianis vero persecutiones excitavit. Talis persecutio incessit mortuo Festo a. 62., qua etiam Jacobus consumtus est, ita ut tantis periculis internis et externis Ecclesia absque duce relinqueretur. — Qui rerum status reverà tristes effectus habuit. Jam enim anterior ecclesiae flos decidit (5, 11. 12 sq.); jam quibusdam consuetudo erat conventus ecclesiasticos deserere (10, 25); quin omnis ecclesiae apostasia pertimescenda erat, ut tota epistola ostendit. — Cum Apostolus de his certior factus esset adhuc in Italia commorans, facile intelligitur, quantopere commotus fuerit. Quamquam enim esset Apostolus gentium, genus suum incredibili modo dilexit (Rom. 9, 3; c. 11.), statimque paratus erat, quidquid posset, facere ad tantum malum avertendum. Statuit igitur quamprimum cum Timotheo fideles invisere; praesenti vero periculo per epistolam occurrere.

2. Ex his *scopus* epistolae definiri potest. Intendit Apostolus, fideles Hebraeos a praesentissimo apostasiae periculo retrahere et in fide Jesu Christi denuo confirmare. Hoc consilium partim *docendo*, partim *monendo* exequi studet; docendo, in fide Jesu Christi esse veram et unicam salutem; monendo, ne salutis hujus jacturam faciant.

3. Consilio epistolae collato cum reliquis adjunctis, facile etiam peculiaris hujus epistolae indoles dijudicatur. Quoad thema generale similis est epistolae ad Galatas et Romanos, cum in hisce pariter fides in Jesum Christum ut salus unica et plena demonstretur. Sed ibi multum valebat Apostoli persona et auctoritas; secus apud Hebraeos. Hoc declarat, quod ad hos verba faciens se ne nominet quidem, forsan etiam, quod alterius ope in scribendo usus sit, certe quod rationibus solum, nequaquam auctoritate insistat. — Ibi magis justificatio moralis in quaestione erat, non ex operibus Legis, sed in fide Jesu Christi, hic magis agitur de cultu, de liturgia, de sacerdotio. — Ibi destructio Legis fortiter asseri poterat; hic praestantia cultus Mosaici concedenda erat, sed ut typus sacerdotii Jesu Christi multo praestantioris, ne exacerbaret animos, sed parcendo demulceret.

§. 69.

Argumentum et momentum.

1. Argumentum, ut diximus, partim est didacticum, partim exhortatorium; sed exhortatio cum doctrina ita est connexa per totam

epistolam, ut partem doctrinalem et paraeneticam distinguere vix liceat, velut in caeteris epistolis. Praestat epistolam juxta ideas principales dividere in *tres partes*, quarum quaelibet continet doctrinam cum exhortatione, adnexo appendice mere practico c. XIII.

Exordium (I, 1 — 3) est sublimis circumscriptio divinae revelationis, inceptae in V. T., completae in Dei Filio, quo nominato statim ad rem transit.

Jam *thema totius tractatus* c. I. — XII. est: Praestantia N. Foederis prae antiquo, demonstrata in persona et munere Salvatoris, cum exhortatione adhaerendi tantae gratiae. Demonstratur autem sequenti modo.

I. Christus auctor N. T. multo sublimior est *Angelis* mediatoribus V. Testamenti, quatenus est Deus, et quatenus est homo; immixta exhortatione. c. I. II.

II. Christus mediator N. T. multo sublimior est *Mose*, mediatore vet. Test., cum exhortatione aliquantulum longiore. III. — IV.

III. Christus, summus sacerdos N. T., multo sublimior est sacerdotibus V. T. ex domo Aaron, et quidem

α) *persona sua*, cum sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, multo nobilior sacerdotibus ex domo Aaron V.— VII.; immixta longiore digressione. V, 11. — VI.

β) *Sacrificio suo* in cruce oblato, quod est sacrificium vere sufficiens et multo praestantius sacrificiis V. T. typicis. VIII. — X, 18.

γ) Sequitur exhortatio uberrima, ne fidei coronam amittant X. 19. — XII.

C. XIII. est appendix practicus brevia continens monita ad ordinandam vitam christianam. Annexa sunt quaedam personalia.

2. *Momentum* hujus epistolae *pro tempore apostolico* hoc est, quod in apologia fidei christianae contra Judaismum haud inferiorem locum occupat epistolis ad Galatas et ad Romanos, imo quodam respectu eminentiorem et vere peculiarem. In illis, uti diximus, momentum morale praevalet (Legi, operibus Legis opponitur justitia per fidem), hic vero momentum sacerdotale, τὸ λειτουργικόν; ibi argumentatio magis est negativa, *defectibus* Veteris Test. insistens; hic positiva, demonstrans, quidquid habuit V. T. sanctissimum et praestantissimum,

hoc in N. T. multo gloriosius inveniri. — *Nobis* praecipuum epistolae momentum in eo est, quod summum mysterium fidei christianae, sacerdotium et sacrificium Christi, tanta cum luce et profunditate explicat, ut doctrina et vita christiana exinde copiosissimos thesauros haurire possit. — Insuper *scientiae theologicae* haud parum praestat, dum plurima revelationis et cultus Mosaici arcana pandit, nexum organicum V. T. cum novo ostendit, jejunam rationalistarum doctrinam de fide christiana, tamquam instituto mere morali, perpetuo damnat, contra vero religionis nostrae sublimitatem, profunditatem, gloriam supernaturalem egregie commendat.

C. Epistolae b. Pauli post primam captivitatem.

§. 70.

Harum epistolarum enumeratio et ordo.

Huc pertinent: epistola ad Titum et binae ad Timotheum. Cum tempus scriptionis expresse non appareat, hoc ex indiciis internis eruere debemus.

1. *Epistola ad Titum* haec nobis prodit. Paulus Cretae diutius commoratus fuerat, ibique Titum reliquit, ut per singulas civitates constitueret presbyteros (1, 5). Queritur de moribus Cretensium (1, 12), praecipue autem de vaniloquis (*ματαιολόγοι*) et seductoribus, maxime qui de circumcisione sunt (v. 10). Exhortatur discipulum, ut devitet stultas quaestiones, genealogias, pugnas legis (3, 9); jubet devitare haereticos, eumque Nicopolim advocat (v. 12). — Ex his videmus, Paulum Cretae Evangelium praedicasse Titumque ibi episcopum creasse, ut ecclesiam penitus ordinaret. Porro haeretici jam longius fuerant progressi. Quae omnia tempus post primam Romae captivitatem produnt, cum Apostolus, ut videtur, per Cretam in Orientem proficisceretur. Epistola haud multo post ex Oriente scripta videtur a. 63.—64.

2. Ex *prima epistola ad Timotheum* haec discimus. Timotheo eodem plane modo officium episcopale incumbebat Ephesi, ac Tito in insula Creta. Ipsi enim commendatur ordo totius ecclesiae; ipsius erat, constituere, judicare presbyteros (V, 19. 22); ipsius imprimis invigilare sanae doctrinae contra errores quosdam novatorum. Doctrinam

istam generaliter vocat „falsi nominis scientiam (γνῶσιν), quam quidam promittentes circa fidem exciderunt“ (6, 20. 21), inter quos erant Hymenaeus et Alexander jam ab ecclesia ejecti (1, 20). Isti errores profecti videntur a Judaeis (νομοδιδάσκαλοι 1, 7), et in interminatas genealogias (1, 4) et aniles fabulas (4, 7) degeneraverant et inutilem ascesin (v. 8). — Etiam haec tempus post primam Apostoli captivitatem rom. produnt. Apostolus, postquam fideles in Palaestina inviserat (Hebr. 13, 23) et Nicopoli (prope Tarsum hiemaverat (Tit. 3, 12), Ephesum devenisse videtur, ibi Timotheum constituisse episcopum, transiisse in Macedoniam (1, 3) et exinde scripsisse epistolam, sperans, se cito reversurum esse (3, 14). Anno 64. — 65?

3. *Alteram ad Timotheum epistolam* scripsit Romae in vinculis (1, 8. 17). Omnia autem potius alteri quam priori captivitati conveniunt. Per aliam enim viam Romam venerat, ac priori vice (4, 13. 20). Prior captivitas fuerat honorabilis (Philipp. 1, 13); nunc patiebatur ut malefactor (ὡς κακοῦργος 2, 9), habebat adversarios, sed neminem amicum (4, 14. 16), mortem proxime imminentem praevidebat (4, 6 sq.). Pro certo igitur haberi potest, hanc epistolam paullo ante Apostoli mortem scriptam esse. a. 67.

4. Istae tres epistolae proinde sunt quasi reliquiae periodi ultimae vitae Apostoli, et synopsin continent rerum hoc tempore ab eo gestarum. Postquam pericula haereseos et apostasiae Orientem perturbantia comperit, misso priori consilio proficiscendi in Hispaniam, per Cretam in Palaestinam se contulit, exinde per partes superiores Asiae minoris (e. gr. Phrygiam) Ephesum petiit, hinc in Macedoniam transiit, iterum reversus in Asiam per Miletum, Troadem et Corinthum denique Romam profectus (II. Tim. 4, 13. 20), ibidem circa a. 67. aut 68, martyrii coronam adeptus est.

12) *Epistola ad Titum.*

§. 71.

Hujus epistolae occasio, consilium et argumentum.

1. Titus Antiochiae ortus fuisse videtur; ab Apostolo conversus, eidem fuit filius genuinus (γνήσιον τέκνον 1, 4). Comes ejus fuit proficiscentis ad concilium Apostolorum (Gal. 2, 1); postea ab eodem

Corinthum missus (II. Cor. 7.); denique constitutus Cretae episcopus, „ut quae desunt, corrigat et constituat per civitates presbyteros.“ (1, 5). Munus sat honorificum, sed eo difficilius, quo majoris erat momenti aedificare ecclesiam in populo vitiis corrupto (1, 12) et falsis doctrinis admodum obnoxio. Apostolus absens de his sollicitus discipulum advocavit Nicopolim, simul autem brevem adjunxit exhortationem. Est autem brevis institutio pastoralis, qua ratione Titus munus episcopale administrare debeat.

2. *Argumentum* post solemniorem inscriptionem (I, 1—4) triplex episcopi munus respicit:

a) Munus *summi sacerdotis*, cujus est, constituere ministros ecclesiae (6—11);

b) munus *pastoris*, cujus potissimum est, praeservare fideles a doctrina et vitae ratione fidei contraria (12—16);

c) munus *doctoris*, cujus est instituere in doctrina sana et vera (II—III, 11).

Conclusio (III, 12—15) personalia quaedam adjuncta continet.

13) *Epistola prima ad Timotheum.*

§. 72.

Occasio, consilium, argumentum epistolae.

1. Timotheum, filium Pauli dilectissimum et fidelissimum ex Actibus Apostolorum bene novimus. Pariter ecclesiam Ephesinam, metropolim totius Asiae, fabulis haereticis jam infestatam et in posterum haud securam (c. 4.). Huic jam Timotheus adhuc juvenis (4, 12) episcopus praeficitur. Quid convenientius ex parte tum Apostoli tum discipuli, quam dari aliquam institutionem, ut sciret, quomodo oporteret eum conversari in domo Dei, quae est Ecclesia Dei vivi? (3, 15). Quemadmodum occasio plane similis epistolae ad Titum, sic et *consilium*; excepto, quod hic institutio aliquantulum uberior est, tum ecclesiae ordinationem in genere, tum munus Timothei in ea, complectens.

2. *Argumentum* proinde post inscriptionem (I, 1. 2.) in duas partes dividi potest:

a) *Regulae generales* vitae ecclesiasticae ordinandae (I, 3. — III, 13), *et quidem*

1. *regula fidei* contra errores imprimis judaizantes (I.),
2. *regula conventuum* ad cultum divinum (II.),
3. *regula de ministris sacris* (III, 1—13). 14—16 transitus ad partem alteram.

b) *Institutio Timothei* in administrando munere episcopali ad salutem Ecclesiae et animae suae (IV—VI.).

1. Instructio de administrando magisterio (IV, 1—11),
2. de gratia et vita sacerdotali (12—16),
3. de munere pastorali exercendo in subjectos tum ministros tum laicos, quibusdam aliis minoris momenti admixtis. Accedit
4. admonitio de propria salute operanda abstinendo et sustinendo (VI.).

Concludit solemnis contestatio ad depositum custodiendum (20. 21).

14) *Epistola secunda ad Timotheum.*

§. 73.

Epistolae occasio, consilium, argumentum.

1. Apostolus morti proximus Ecclesiae suorumque curam non omisit. Jam Timotheum filium novit praepositum ecclesiae Ephesinae, qua vix ulla gravioris erat momenti, innumeris vitae et malae doctrinae periculis circumventum. Huic ultima sua vota mandare desiderat, eumque Romam festinare jubet (4, 8). Sed dubius forsitan de maturo ejus adventu, et corde sollicitudinis pleno, jam nunc, quae animum ejus maxime movent, eidem vult commendare. Est institutio successoris apostolici, sicut epistolae praecedentes; sed cum ultima vota morituri complectatur, revera *testamentum Apostoli* ad Timotheum dici potest.

2. *Argumentum* post inscriptionem (v. 1. 2.) haec potissimum comprehendit:

A. *Ultimam apostrophen ad filium spiritualem:* gratiarum actionem, exhortationem ad fidem erga Apostolum. I.

B. *Ultimam apostrophen ad Apostoli successorem* in labore, in doctrina, in munere pastoris. II—III, 9.

C. *Ultimam apostrophen ad haeredem Apostoli*, cui totius vitae et doctrinae apostolicae thesaurum relinquit et commendat, apposito quasi sigillo jamjam morituri. III, 10. — IV, 8. Sequuntur quaedam specialia mandata, salutationes etc. 9—22.

§. 74.

Epistolarum ad Titum et Timotheum genuinitas et momentum.

1. In Ecclesia catholica semper et ubique inter homologumena relatae sunt. Utuntur iis Patres apostolici, licet absque nomine auctoris. *Irenaeus* opus suum adversus haereses a verbis Apostoli I. Tim. 1, 4. incipit; ex altera ad Timotheum epistola inter alia refert, Paulum *Lini* mentionem facere II. Tim. 4, 21; ex ep. ad Titum infert vitationem hominis haeretici Tit. 3, 10. Ita post eum scriptores ecclesiastici omnes. — Referunt quidem Veteres, epistolas istas a Marcione aliisque haereticis rejectas fuisse, sed et causam commemorant, scilicet doctrinam haereticam in epistolis damnatam. — Pariter et neoterici plurimi eas impugnabant, sed ex causis aeque futilibus, difficultatibus artifiose confictis et reclamante historia.

2. *Momentum* epistolarum istarum pro tempore apostolico potissimum hoc est, quod *opus Apostolorum ultimum* ad vivum depingunt, quod erat, constituere et instituere rectores ecclesiarum, in quorum manus post Apostolos Ecclesiae cura transiret. — Hoc vero momentum *pro omni tempore* manet; et quidem primo *dogmaticum*. In omne tempus hic prostat testimonium inviolatae traditionis Ecclesiae cum omnibus, quae essentiam ejus constituunt, ab Apostolis ad successores; solemnis pariter obligatio successorum, custodiendi depositum et inviolate tradendi ad posteros. Hoc autem est principium et fundamentum traditionis ecclesiasticae. — Deinde *historicum*; testantur enim, constitutionem Ecclesiae catholicae ab Apostolis prodiisse et usque in hodiernam diem eandem mansisse. — Denique *pastorale*; continent enim institutionem pastorum Ecclesiae omnis ordinis et dignitatis perutilem, ideoque recte epistolae pastorales nuncupari consueverunt.

Caput II.

Epistolae catholicae.

§. 75.

Nomen et divisio.

1. Praeter collectionem epistolarum Pauli, quae antiquitus inscriptionem τοῦ ἀποστόλου gerebat, habetur in canone altera collectio sub nomine *epistolarum catholicarum*. Complectitur vero sequentes epistolas: unam Jacobi, Petri duas, unam Judae et tres Joannis. — Nomen „*epistolae catholicae*“ variae est interpretationis. Maxime vero simile est, epistolas istas sic fuisse compellatas, quod non, ut epistolae Pauli, ad singulas ecclesias e. gr. Romanos, Corinthios etc., sed *ad plures* diriguntur, = epistolae encyclicae. Hanc inscriptionem ab initio habebant epistola prima Petri et prima Joannis, quae revera sunt encyclicae; postea nomen hoc ad totam collectionem extendebatur, quamvis non omnes, veluti 2. et 3. Joannis, essent encyclicae.

2. *Divisio* aptissime fit juxta tempus. Jam cum s. Jacobus circa a. 62 mortuus sit, s. Petrus circa a. 67. — 68. ad beatorum sedes ascenderit, epistola autem Judae paene ejusdem temporis cum Petri secunda haberi debeat: epistolae Jacobi, Petri et Judae *priorem seriem* constituunt, quae septimum post Chr. decennium non excedit. — Epistolae Joannis, scriptae circa finem saeculi primi, seriem posteriorem efficiunt.

3. *Ordo* singularum hic est:

Prima est *epistola Jacobi* paullo ante a. 62.; sequitur

I. Petri circa 64.

Epistola Judae secundam Petri praecessisse videtur; *haec* demum paullo ante Petri mortem scripta est.

A. Epistolae catholicae priores.

§. 76.

Epistola Jacobi.

1. *Auctor* seipsum compellat Jacobum servum Dei et Jesu Christi (1, 1). Jam duos hujus nominis viros in s. Scriptura reperimus. Prior

erat *Jacobus major*, filius Zebedaei, frater Joannis, qui anno 43. p. Chr. ab Herode necatus, auctor epistolae esse nequit. Alter erat *Jacobus* ὁ μικρός (Marc. 15, 40), pariter Apostolus, dictus etiam frater Domini (Gal. 1, 19), quod erat filius Alphaei (Matth. 10, 3) sive Klopae, et Mariae sororis B. V (Marc. 15, 40. cf. Joann. 19, 25). Is jam a primis temporibus antistes fuit ecclesiae Hierosolymitanae. Hunc Paulus triennio post conversionem solum ex Apostolis cum Petro Hierosolymis vidit (Gal. 1, 18. 19). Huic Petrus a. 43. exitum suum annuntiari jubet (Act. 12, 17). Is in concilio Apostolorum, quo tempore fuit columna Ecclesiae (Gal. 2, 9) post Petrum verba fecit (Act. 15). Ad hunc Paulus introivit, cum ecclesiam Hierosolymitanam inviseret ante captivitatem (Act. 21, 18). Hic ergo, postquam reliqui Apostoli in mundum universum exierant, solus videtur Hierosolymis mansisse, ibi gessisse episcopatum ecclesiae non solum Palaestinensis, sed propter dignitatem ecclesiae Hierosolymitanae patriarcha quodammodo fuisse universae ecclesiae Judaeorum per Orbem. Fuit autem, testantibus Josepho, Hegesippo et Eusebio (H. E. II, 23), homo sanctus, ita ut a Judaeis ipsis *Justi* cognomen adipisceretur, orationis amantissimus, moribus austerus. Occisus est a Judaeis Anano summo pontifice, inter Festum et Albinum procuratores a. 62. — Hic ergo auctor est epistolae, cum alius praeter eum Jacobus tantae auctoritatis non extiterit; et epistola ejusdem muneri et characteri optime conveniat.

2. *Lectores*, ad quos epistola dirigitur, sunt „duodecim tribus in dispersione" (1, 1) i. e. Judaeo — Christiani dispersi inter Graecos (ut ex lingua cernitur), quorum sedes primaria fuit Alexandria. Utique extra Palaestinam ecclesiae pure Judaeo — christianae vix extiterunt; sed tamen, ubi major eorum numerus erat, proprios habebant sacros conventus, quales epistola supponit (2, 2; 3, 1). Notum est e s. Scriptura, quanta reverentia fideles maxime ex Judaeis ecclesiae metropoli Hierosolymitanae adhaeserint; hinc mirum non est, antistitem hujus ecclesiae apud omnes magna in auctoritate fuisse.

3. *Tempus* scriptionis ultra annum 62., quo Jacobus mortuus est, extendi nequit; nec etiam multo antea. Ecclesiae enim ex Judaeis graece loquentibus ante Pauli praedicationem inter Graecos (ab a. 51—58) non extiterunt. — Porro charitatem primam in eis desiisse jam videmus. Dein epistola aperte respicit doctrinam Pauli de fide justificante,

quam Paulus maxime in epistolis ad Galatas et Romanos deposuit. Denique zelum istum impurum, qui Judaeos ante revolutionem agitabat, etiam in Ecclesiam irrepsisse videmus. Epistola igitur verosimiliter initio decennii septimi scripta est, quo tempore Paulus captivus Romam abductus fuerat. — *Locus* haud dubie est Palaestina; quin ipsa Hierosolyma.

4. Si inquirimus *occasionem* epistolae seu situm rerum, qui eam provocavit, haecce deprehendimus. Generaliter in locum charitatis primae incesserat amaritudo et magna corruptio, sed diverso modo. Alios enim et quidem pauperes et oppressos, videmus animo dejecto et paene desperantes. Alios vero, et quidem partem longe majorem et validiorem, animo inflato, procaci, nimis securo, breviter: omni fermento judaico infectos. Hoc triplici maxime corruptione se prodebat:

a) *Hypocrisi fidei*, dum fidem sine operibus sufficientem et salvificam judicabant;
b) *zelo impuro* docendi;
c) *impietate vitae* omnis generis.

Huic ergo ruinae morali s. Jacobus occurrere statuit. Hinc etiam *consilium* epistolae colligere possumus. Est autem potissimum hoc: praedicare poenitentiam et veram vitae pietatem contra falsam securitatem et quaecumque sophismata. Dum autem retundit temerarios, etiam oppressos et dejectos non obliviscitur, sed eos consolando et confortando erigere nititur.

5. *Argumentum* in tres partes dividi potest.

a) *Introitus* (I, 1—18) exhortatur ad patientiam et sustinentiam in tentationibus.
b) *Tractatus* (I, 19. — V, 6) severe perstringit omnem irreligiosam hypocrisin; et quidem, themate praemisso v. 19. 20,
   α) *hypocrisin fidei* — fides sine operibus mortua (I, 21. II.);
   β) *hypocrisin doctrinae* — scilicet temeritatem linguae et zelum amarum (III.);
   γ) *hypocrisin vitae* — scilicet omnis generis concupiscentiam, temeritatem, injustitiam, servitium mammonae etc. (IV—V, 6).

c) *Conclusio* (V, 7—20) iterum ad dejectos revertitur, quibus patientiam, sinceritatem, orationem commendat, cum quibusdam specialibus.

6. Hujus epistolae *genuinitas et auctoritas* non omnibus omni tempore constabat, unde deutero-canonicis adnumeratur. Sed testem habet in s. Scriptura ipsa, s. *Petrum*, qui in epistola prima plures locos paene ad verbum repetit (Jac. 1, 9. 10. cf. I. Petr. 1, 24; Jac. 5, 20. cf. I. Petr. 4, 8; Jac. 4, 10. cf. I. Petr. 5, 6 etc.) — *Versioni syriacae* (Peschito) ab initio inserta erat — Inter Alexandrinos *Origenes* eam testatur ut φερομένην Ἰακώβου ἐπιστολὴν (φερομένη = publice agnita). — *Eusebius* eam inter antilegomena enumerat, eoquod *non multi* Veterum eam commemoraverunt. — Inter *Latinos Clemens Rom.* eadem usus est, sed absque nomine, et canon antiquus eam non habet. *Hieronymus* tamen eam recipit et Latinorum praxin bene declarat dicens: „Jacobus, qui appellatur frater Domini... unam tantum scripsit epistolam, quae de septem catholicis est, quae et ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita *asseritur*, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem“ (de viris ill. c. 2.). — Exinde omne dubium in Ecclesia exspiravit.

§. 77.

Epistola prima Petri.

1. Epistola scripta est „ad electos advenas dispersionis (διασπορᾶς) Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae Bithyniae“ (1, 1). Cum expressio et „διασπορά“ Judaeis esset usitata, epistola credentes ex Judaeis praecipue respicere videri posset; verius tamen supponitur, Petrum assuetam notionem τῆς διασπορᾶς ad Christianos ex Judaeis et gentibus transtulisse, cum ethnico — Christianorum aperte mentionem faciat (4, 3).

2. *Tempus* scriptionis ex iis, quae epistola continentur, apparet. Scripta est, cum immineret persecutio Ecclesiae christianae in universo mundo (5, 9); cum Christiano ratio reddenda esset de fide sua (3, 15), ferenda opprobria in nomine Christi (4, 14), patiendum in modum furis et homicidae ib. 15. 16). — Quae aperte indicant imminentem persecutionem Neronianam, excitatam anno 64.; et cum epistola intendat praeparare animos huic tempestati, absque dubio eodem anno scripta est.

3. *Locus* indicatur 5, 13: „Salutat vos coëlecta (i. e. ecclesia) in Babylone". Merito dubitatur, num fuerit Babylon Chaldaeae, quae jam Strabonis tempore fere desolata erat (ut valeret proverbium: *ἐρμία μεγάλη ἐστὶν ἡ μεγάλη πόλις*. Winer R. L. II, 124); ubi praedicationis Petri, nullum vestigium habetur. Potius traditioni Papiae, Clementis Alex., Eusebii, Hieronymi inhaerendum, hoc nomine mystice designari *Romam* (v. supra dicta ad Evangelium s. Marci). Huic optime conveniunt reliqua adjuncta. Romae enim instans periculum statim cognoscere et exinde fidelibus communicare potuit. Romae pariter scimus eidem Marcum adfuisse, sicut revera adest (5, 13). Notum denique est, in Apocalypsi Romam nomine Babylonis figurari.

4. Ex dictis patet, quae fuerit scribendi *occasio;* nempe imminens persecutio et varia tentationum pericula fidelibus inde manantia. In persecutione ista signum conspiciebat, quia omnium finis appropinquavit (4, 7); quia tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei, deinde ad infideles se extendat (4, 17). — Hinc etiam *consilium* scribentis non erat theoreticum, sed more *practicum:* munire fideles pro futura calamitate; et quidem *generaliter*, exhortando ad sanctitatem, justitiam et vigilantiam; et *specialiter*, eos instituendo, quomodo certamini instanti se praeparent idque laudabiliter absolvant, — proposito in omnibus exemplo Christi Domini.

5. *Argumentum* epistolae hoc est:

Inscriptio v. 1, 2.

Introitus (3—12): gratiarum actio ad Deum pro gratia salutis.

Pars prima (I, 13. — II, 10) exhortatur, ut vocationi christianae satisfaciant per sanctificationem vitae.

Pars secunda (II, 11. — III.) instituit eos ad instantem pugnam:

a) quomodo caveant offendicula, ne juste puniantur (II, 11—25),

b) quomodo bene agant, ut patiantur propter justitiam et cum Christo triumphent. (III.)

Pars tertia (IV. — V, 11) utraque complectitur: exhortationem ad sanctitatem, institutionem ad pugnam.

Conclusio 12 — 14.

6. De hujus epistolae *autenthia* nunquam in Ecclesia dubitatum est, quae eam semper inter homologumena habuit. Eadem usus est *Polycarpus*, *Papias* teste Eusebio; nominatim autem *Irenaeus* (adv.

haer, l. IV. c. 9): „Petrus ait in epistola sua: Quem non videntes diligitis“ etc. (I. Petr. 1, 8); et post hunc scriptores ecclesiastici omnes.

§. 78.

Epistola Judae.

1. *Auctor* seipsum nominat Judam Jesu Christi servum, fratrem autem Jacobi; nempe Jacobi minoris, fratris Domini. Fuit ergo Judas et ipse filius Alphaei et Mariae, frater Domini (Marc. 6, 3), aggregatus collegio Apostolorum, idem qui dictus Lebbaeus seu Thaddaeus (לֵב cor, תַּד = pectus) Matth. 10, 3; Marc. 3, 18. et a Luca Judas Jacobi (Luc. 6, 16; Act. 1, 13). De hujus vita nonnisi incertae habentur traditiones. *Quo tempore* et *ad quos* epistola scripta sit, ex ipsa erui nequit. Cum tamen inter hanc epistolam et II. Petri c. 2. talis sit similitudo quoad materiam et formam, ut necessario aut Judas Petrum aut Petrus Judam secutus fuisse dicendus sit (hoc verosimilius), merito conjicitur, utramque epistolam ad eosdem scriptam esse et tempore non admodum distante. Jam secunda epistola Petri ad eosdem dirigitur ac prima (II. Petr. 3, 1), et non multo ante ejus mortem scripta est (ib. 1, 14). Ergo etiam epistola Judae ad fideles Asiae minoris scripta fuit circa annum 66. — 67.

2. *Occasionem* scribendi dederunt haeretici, quos severe redarguit. De horum doctrina epistola hoc tantum habet, quod negent Christum Dominum (v. 4), dominationem autem et majestatem i. e. Angelos blasphement (8). Moras eorum accusat corruptionis in modum Sodomorum, imo animalium (7. 10); superbiae, avaritiae etc. Ex quibus hoc saltem clarescit, eos pertinere ad eam sentinam, ex qua posteriori tempore *gnostici* emergere coeperunt, qui fictionibus mythologicis et daemonologicis derogabant Christo et Angelis, quoad mores autem sordidissimo naturalismo indulgebant. — *Consilium* scribentis jam fuit, fideles commonefacere, ut persisterent in fide semel tradita adversus hujusmodi seductores.

3. *Argumentum.* Post inscriptionem (v. 1. 2) praemittit thema et occasionem epistolae (3. 4). Sequitur:

a) descriptio et condemnatio dictorum haereticorum (4—16);

b) exhortatio ad fideles, ut permaneant et crescant in fide vera, apostolica, et quomodo se gerant erga errantes; cum commendatione ad Dominum (17—25).

4. *Auctoritas* epistolae non apud omnes semper constabat, propterea deutero-canonicis adnumeratur. Illustribus tamen testibus non destituitur. In ecclesia Alexandrina auctoritatem antiquitus habuit. *Clemens Al.* eam saepius citat. *Origenes* (comment. in Matth.) ait: „Judas epistolam scripsit paucorum quidem versuum, plenam autem efficacibus verbis gratiae coelestis“ etc., quem alio loco Judam *Apostolum* vocat. Continetur pariter *canone antiquissimo Ecclesiae Romanae* (Murator.) et citatur a *Tertulliano* (de cultu femin. I, 3). Ab *Eusebio* inter antilegomena refertur. *Hieronymus* (scrip. eccl. c. 4): „Judas, frater Jacobi, parvam, quae de septem catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur. Tamen auctoritatem vetustate jam et usu meruit et *inter sanctas Scripturas computatur.*“ Quod judicium universa deinde Ecclesia amplexa est.

§. 79.

Epistola secunda Petri.

1. Scripta est, ut diximus, ad eosdem, ad quos prima Petri epistola missa fuerat. Ait enim 3, 1: „Hanc ecce *vobis* secundam scribo epistolam.“ *Tempus:* breviter ante Apostoli mortem; ait enim: „Certus sum, quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi“ (1, 14).

2. *Occasionem* scribendi dederunt iidem haeretici, quos condemnavit Judas Apostolus, cujus proinde etiam epistola usus est. Hi profundam scientiam pollicentes, revera nil nisi doctas fabulas proferebant (1, 16), sanctitate et gratia abjecta, iisque sceleribus se inquinantes, quae Judae epistola perstrinxerat. Hoc tamen accessit novum, quod imminebant „illusores“ (3, 3) negantes adventum Domini, eoquod ab initio huc usque omnia perseverent. Fideles jam in doctrina tradita confirmare et contra deceptores munire — hoc est epistolae *consilium*.

3. *Argumentum* post inscriptionem est tripartitum:

a) Exhortatio ad verum profectum et incrementum in scientia et

pietate, sed solummodo super fundamentum doctrinae infallibilis apostolicae, oppositae doctis fabulis (I.).

b) Descriptio magistrorum fallacium eorumque judicii, ut in ep. Judae (II.).

c) Doctrina apostolica de adventu Domini contra temerarios illusores, cum applicatione morali et explosione quorundam, qui epistolas Pauli depravabant (III.).

4. *Auctoritas et genuinitas* epistolae non omni tempore indubitata fuit. Inter Alexandrinos dubium est, num Clemens eam agnoverit. *Origenes* eam saepius sub Petri nomine citat, quamvis non omne dubium excludat (ap. Euseb. H. E. VI, 2): „Petrus unam epistolam homologumenam reliquit, forsan (ἔστω δὲ καὶ) secundam; dubitatur enim." — *Athanasius* eam aeque ac primam recepit. — *Eusebius* fatetur (H. E. III, 3), secundam Petri non quidem canonicam (ἐνδιαθηκόν) accepisse, permultis tamen usitatam et cum reliquis Scripturis esse conservatam. — Latinorum judicium apud *Hieronymum* legimus (de viris ill. c. 1): „Petrus scripsit duas epistolas . . . quarum secunda a plerisque ejus esse negatur propter styli cum priore dissonantiam." — Sed quemadmodum hoc non impedivit, quominus Hieronymus eam reciperet, ita saec. IV. universa Ecclesia inter Sripturas sacras auctoritatem ei tribuit.

§. 80.

Momentum

expositarum epistolarum, quae externe et interne cohaerent, praecipue triplex est:

1. *Historicum.* Eodem tempore, quo s. Paulus aedificavit et defendit Ecclesiam, et reliquos Apostolos conspicimus operis socios. *Jacobus* eam defendit ab ingruente corruptione judaica. *Petrus* epistola prima eam defendit a periculis ex parte ethnicorum; *Judas* et *Petrus* ep. secunda adversus haereticos et rationalistas.

2. Momentum *apocalypticum.* Omnes istae epistolae sub exspectatione ingentis alicujus catastrophes, imo consummationis ipsius, scriptae sunt. Jac. 5, 8. 9: „Adventus Domini appropinquavit — judex ante januas assistit." I. Petr. 4, 7: „Omnium finis appropinquavit";

cf. 4, 17; 5, 4; Judae 14. 24. — Quo propius autem judicium instat reipublicae Judaeorum et orbi antiquo, eo magis prospectus in futura clarescit. Hinc II. Petr. cap. III., quod dilationem adventus Domini declarat, quasi traductio est in periodum futuram.

3. Momentum *doctrinale* et *practicum*, quod omni tempore valet. Contra omnia sophismata falsi spiritualismi *Jacobus* rem fidei in operibus ponit; *Petrus* sanctificationem vitae juxta exemplum Domini tanquam scopum proponit. *Judas* denique et *Petrus* ep. altera contra haereticos principium fidei stabiliunt, doctrinam scilicet apostolicam, et solummodo super hoc fundamento incrementum admittunt.

B. Epistolae b. Joannis.

§. 81.

Epistola prima.

1. Epistola inscriptione caret; ex ejus tamen relatione ad Evangelium circumstantiae scriptionis indagari possunt. Eosdem in ea deprehendimus haereticos, quibus Evangelium opponebatur; eaedem recurrunt ideae in forma consimili; quin dici potest, totam epistolam aliud non esse, nisi practicam commendationem veritatis in Evangelio propositae: Jesum esse Christum, Filium Dei, principium vitae. Denique tot occurrunt allusiones ad testimonium scriptum „de verbo vitae" etc. (I, 1—3; II, 12 sq.; 21—26), ut plurimi hanc epistolam ut praeambulum et dedicationem Evangelii consideraverint (Hug, Reithmayr, Maier etc.). Hoc saltem affirmare licet, epistolam supponere lectores, qui Evangelium Joannis bene norunt. Hinc conjici potest, epistolam ad eosdem, eodem paene loco et tempore scriptam esse, ac Evangelium.

2. Hinc *occasio* scribendi patet. Surrexerant haeretici, quos *antichristos* vocat (2, 18), eoquod Christi naturam et opus negabant. Alii enim negabant, „Jesum esse Christum" (2, 22) i. e. divinam ejus naturam; alii „Jesum Christum in carne venisse" (4, 2. 3) i. e. naturam ejus humanam. Quoad vitam moralem nequaquam viam veram et regalem ostendebant, fidem scilicet, quae per charitatem operatur, sed gnosin sublimiorem affectabant. Erroribus eorum dogmaticis Evangelium opposuerat. Hujus doctrinam principalem in epistola hac energice

inculcat; potissimum autem nititur fideles *movere*, ne falsam vitae i. e. communionis cum Deo, viam ingrediantur, sed veram, quae est fides per charitatem operans — charitas ex fide efflorescens. Hoc est epistolae *consilium*.

3. *Argumentum: Introitus* I, 1—4. thema et consilium epistolae explicat: „ut societatem habeatis nobiscum et societas nostra sit cum Patre et Filio" etc.

Pars prima (I, 5 — II, 11) *notionem* hujus societatis (*κοινωνίας*) explicat et signa.

Pars altera (II, 12 — III.) exponit, qua ratione societas ista acquirenda sit; negative: abjiciendo dilectionem mundi, positive: fide et charitate.

Pars tertia (IV — V, 12) perfectionem hujus societatis describit; iterum incipit commendando fidem et charitatem, describit utriusque incrementum, denique triumphum et transitum in vitam aeternam.

Concludit (13—21) excitatio fiduciae christianae cum quibusdam monitis.

§. 82.

Epistola secunda et tertia.

1. Epistola altera ad quandam *electam Dominam* scripta est, cuius filios viderat. Recurrunt hic eadem, quae in epistola prima fusius exponuntur, ita ut quasi brevis epitome considerari possit. Hinc concluditur, eam nec tempore nec loco multum ab illa distare. — Gaudium exprimit de filiis ejus, qui ambulant in veritate; commendat charitatem; cavere jubet a seductoribus antichristis, qui ne in domum quidem sunt recipiendi; excusat brevitatem epistolae, sperans se eos brevi visurum esse.

2. Tertia ad *Gaium quendam* dirigitur, quem aliunde non novimus. De conditione hujus epistolae, de tempore et loco idem valet, quod de secunda. — Gaudet de fide ejus et hospitalitate in fratres; arguit Diotrephen quendam, Apostolo et fratribus inimicum; commendat Demetrium; pauca scribit, mox eum visurus.

§. 83.

Harum epistolarum genuinitas et momentum.

1. De epistola *prima* nunquam in Ecclesia dubitatum est, et in omnibus catalogis librorum canonicorum inter homologumena traditur.— Jam *Polycarpus* ea usus est (ad Philipp. citat I. Jo. 4, 3.); pariter *Papias* testante Eusebio (H. E. III, 39.); *Irenaeus* saepissime, et post hunc omnes. — Porro ea est connexio inter hanc epistolam et Evangelium, ut necesse sit, Joanni aut Evangelium abjudicare aut epistolam tribuere.

2. Talis certitudo de *secunda et tertia* non est, propter quod deutero-canonicis adnumerantur; quod mirum non est considerantibus earum brevitatem et characterem privatum. Dubitat *Origenes* (apud Euseb. H. E. VI, 25): „Scripsit epistolam admodum brevem, forsan (ἔστω δὲ καὶ) secundam et tertiam, cum non omnes dicant, has genuinas esse.“ *Eusebius pariter* eas inter antilegomena refert. Tamen adsunt testimonia antiquissima. *Irenaeus* (adv. haeres. l. I. c. 16. §. 3.) Joannis nomine citat Ave haereticis interdictum (II. Jo. 11.). *Clemens Al.* secundam saltem, si non et tertiam explanavit. — Continet eas *canon Ecclesiae Romanae; Athanasius* ambas agnovit; pariter *Hieronymus* (ep. ad Evagrium), quamvis etiam referat opinionem eorum, qui asserunt, eas esse Joannis presbyteri, cujus et alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur (de viris ill. c. 9.). Haec etiam causa dubii fuisse videtur, quod Apostolus hic *presbyterum* se nominat, sicut et Petrus (I. ep. 5, 1). Saeculo quarto omne dubium disparuit.

3. *Momentum* harum epistolarum et praecipue *primae* (cujus relique duae sunt appendices) in hoc maxime est, quod sunt *epilogus practicus* Evangelii. In Evangelio fidelibus scutum divinae veritatis in manus dederat contra omnes haereticorum incursus; in epistolis autem altitudinem christianae perfectionis, beatitudinem charitatis, triumphum vitae christianae eorum cordibus imprimit; digna sane conclusio praedicationis discipuli, quem dilexit Dominus, et totius aetatis apostolicae.

PARS TERTIA.

Apocalypsis.

§. 84.

Nomen; auctor; tempus et locus scriptionis.

1. *Nomen*. In pluribus N. T. libris hincinde *prophetica* occurrunt, Apocalypsis autem *ex integro* liber *propheticus* dicendus est. Vox: ἀποκάλυψις in N. T. significat revelationem mysteriorum Dei, praesertim eorum, quae Salvatoris opus respiciunt. Quae mysteria si ad futura referuntur, apocalypsis prophetica est. Haec autem revelatio seu apocalypsis duplici modo fieri potest, sive *verbis* (intellectualiter), sive *imaginibus* (intuitive). In nostro libro posterior modus, *imaginum* scilicet et *visionum*, adhibitus est.

2. *Auctor*. Apocalypsis eadem prorsus fata subiit ac epistola ad Hebraeos. Ab initio ceu opus Joannis Apostoli luculenter agnita postea vero ex futilissimis plane rationibus impugnabatur, donec tandem pristino honori restitueretur.

In Ecclesia *graeca* jam *Irenaeus* coaevorum divi Joannis testimonium affert pro textu quodam Apocalypseos.

Papias Apocalypsin Joanni Apostolo adscribit.

Justinus scribit: *Παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις, Ἰωάννης, εἷς τῶν ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ, ἐν ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ . . . προεφήτευσε λ.* Dial. c. 81.

Apollonius Ephesinus sub finem saeculi secundi, in controversiis suis contra Montanistas Apocalypsi utebatur. Cf. Euseb H. E. V, 18.

In *Syria* eandem saeculo quarto s. *Ephraemus* Joanni „Theologo“ vindicat.

In *Africa Clemens Al.* Apocalypsin nominat opus Joannis Apostoli. Paedag. II, 12. Strom. VI, 13.

Tertullianus contra Marcionem omnes profert episcopos a b. Joanne descriptos. Contr. Marc. IV, 5.

Origenes Apocalypsin Joannis Evangelistae opus esse defendit. Euseb. H. E. VI, 25.

Sic per Orientem in primis Ecclesiae saeculis docebatur et credebatur. Tum demum episcopus Arsinoensis, Nepos nomine, *literali* Apocalypseos exegesi Chiliasmum argumentis fulcire animum intendit, lapsus in oppositum errorem Alexandrinorum, quippe qui vix non omnes sacrae Scripturae libros *allegorice* interpretabantur. Adversabatur Nepoti Dionysius Alexandrinus, asseverans, Apocalypsin a Joanne Apostolo non esse conscriptam, suffultus opinione nonnullorum, qui eandem Cerintho haeretico tribuerant. Ipse autem Dionysius Joannis Apostoli discipulum, Joannem Presbyterum, qui Evangelistae suppar Ephesi vixerat, libri auctorem fuisse affirmavit, quae quidem sententia Afris minime placuit, in Asia vero saeculo demum quarto nonnullis haud displicuit.

In Ecclesia *latina* „Pastor Hermae" vix non Apocalypseos imitatio dicendus est.

Testis gravissimus est epistola ecclesiae Viennensis, in qua loci ex Apocalypsi citantur (sub Marco Aurelio, ab a. 161—180). Euseb. H. E. V, 1. —

Irenaeus Joannem saepenumero *Domini discipulum* vocat, eique Apocalypsin tribuit. Adv. Haer. IV, 20. V, 26.

Iste liber pari modo in antiquo Canone Romano habetur -- Fragm. Muratori.

Tandem s. Hieronymus scribit (Ep. 129. ad Dardan.): „Quodsi eam (ep. ad Hebr.) Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Graecorum quidem ecclesiae Apocalypsin Joannis recipiunt. *Et tamen nos utraque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes.*"

Itaque sine ullo dubio Apocalypsis genuinum s. Joannis Apostoli opus est.

3. *Tempus et locus scriptionis.* Haec liber ipse nos edocet cap. I, 9: „Ego Joannes, frater vester . . . fui in insula, quae appellatur Patmos, propter verbum Dei . . . fui in spiritu" etc. Scripta

ergo est Apocalypsis in insula Patmo, quo Joannes tempore Domitiani — ergo sub finem saeculi primi — fuerat relegatus.

§. 85.

Argumentum.

In Apocalypsi cuncta pulcherrime et accuratissime ad unum finem contendunt. Praeter prologum et epilogum introductio adest, quam sequitur ipsa revelatio quinque partibus constans.

Prologus (I, 1—8) comprehendit inscriptionem et dedicationem ad septem Asiae minoris Ecclesias, ad quas prae caeteris dirigebatur Apocalypsis.

Introductio (I, 9 — III.) exhibet visionem, qua Joannes conspicit filium hominis, mandata sibi dantem ad septem Ecclesias, quae mandata in forma septem epistolarum adparent.

A capite IV. ipsa inchoat revelatio, incipiens cum praeclarissima Theophania: Dominus Deus librum manu tenet, librum fatorum, septem sigillis signatum. Nemo potest aperire sigilla, nisi Agnus, qui occisus est; jam incipit aperire. Cap. IV. et V.

P. I. Jam prima inchoat series evolutionis: sigilla sex secundum ordinem solvuntur, et quid significent, explicatur, scilicet: bellum, famem, pestem etc. Sigillum sextum judicium annunciat universale, septimum tamen nondum potest reserari, i. e. consummatio fieri nequit, priusquam salvandorum numerus, scil. 144,000 e duodecim tribubus Israel cum multitudine ingenti ex omni populo, fuerit impletus. Haec est lex universalis historiae christianae usque ad consummationem (Cap. VI. et VII).

P. II. Septimum sigillum aperitur et sic ulterior evolutionis catena nectitur. Septem tubae septem angelis dantur et ad earum sonitum fit evolutio terribilium judiciorum. Ad clangorem septimae tubae (X, 7), sic jurat angelus, adimplebitur mysterium, quod Deus Prophetis revelaverat. Vates conspicit fortunam urbis, *quae vocatur spiritualiter Sodoma et Aegyptus, ubi et Dominus crucifixus est* (XI, 8); decima pars urbis vastatur. Jam septimus angelus tuba canit et adparitio regni Christi celebratur (VIII. — XI.).

P. III. Haec pars intermediam exhibet actionem. Satanas (draco) mulierem sole amictam, Christumque udituram, observat, „ut cum pe-

perisset, filium ejus devoraret" (XII, 4). Mulier parit filium, qui in coelum rapitur, mater autem in solitudinem fugit. Satanas coelo detrusus mulierem frustra persequitur, hinc potestatem suam duabus committit bestiis, qua generi mulieris insidientur. Ast jam Agno cantantur cantica victoriae, lapsus Babylonis annunciatur et angeli ad judicium accinguntur (XII. — XIV.).

P. IV. Jam nova incipit evolutio: Septem angeli procedunt cum phialis, plenis iracundia Dei, quarum effusione terribiles in terra plagae oriuntur. Et postquam septimus angelus phialam suam effuderat, audita est vox: „Factum est" (XVI, 17); et vati destructa ostenditur Babylon sub imagine meretricis in deserto: „Mulier, quam vidisti, est civitas magna, quae habet regnum super reges terrae" (XVII, 18). Haec civitas Roma est imperitans universo orbi; et fletus et cantica triumphalia audiuntur in coelo et in terra (XV. — XVIII.).

P. V. Parantur nuptiae Agni. Victor, cujus nomen est: VERBUM DEI, adparet. Inchoat judicium de inimicis; bestiae ad mille annos in abysso ligantur; sequitur prima resurrectio et Christi regnum millenarium; tandem succedit ultima pugna vastatoria, ultima resurrectio, judicium, coelum novum terraque nova et Jerusalem coeleste (XIX. — XXII, 5).

In *Epilogo* (XXII, 6 — 16) confirmant angelus et Christus ipse, haec esse fidelissima et vera; sequuntur ultima auctoris verba.

§. 86.

Interpretatio Apocalypsis.

Hanc quod attinet, facile intelligitur, in Apocalypsi fata regni Dei usque ad consummationem depingi; qua autem ratione id fiat, omnino dubitandum est: omnes enim interpretes hac in re plurimum discrepant.

Forsan Apocalypseos summa sic exhiberi poterit:

Pars *prima* religionem christianam in generali sistit tamquam judicium mundi, quod vero non perficitur, priusquam electorum numerus fuerit completus.

Pars *altera* describit primam Ecclesiae epocham, judicium de allegorico Sodoma (Jerusalem) seu de *Judaismo*, quocum regnum Dei universali historiae implicatur.

Pars *tertia*, sive actio intermedia, repraesentat Christi pugnam cum diabolo generaliter in historia universali, specialiter cum *paganismo*, cui interitus praenuntiatur.

Pars *quarta* ob oculos nobis ponit judicium de paganismo usque ad lapsum Babylonis, i. e. Romae et antiqui paganismi.

Pars *quinta* tandem nobis proponit statum Ecclesiae, quae vero pugnis minime caret, donec aurea ipsius aetas illucescat. Tandem rerum super hanc terram sequitur finis.

§. 87.

Momentum et relatio Apocalypseos ad caeteros N. T. libros.

In Apocalypsi proponuntur nobis summa lineamenta imaginis regni Dei per saecula usque ad consummationem. Iste liber mysteriosus est sicut omnis prophetia, ita tamen comparatus, ut idea principalis haud difficulter eruatur.

Etenim regnum Christi certe nil aliud est quam judicium de *Satana* et de *mundo* ex una, quam *victoria* et *triumphus* Christi *Sanctorumque* ejus ex altera parte. Insignem autem hunc triumphum religio christiana tam de Judaismo, quam de Gentilismo reportatura est. In Actibus apostolorum *historice* nobis narratur, qua ratione hic triumphus initium sumserit; in Apocalypsi progressus et consummatio ejusdem per sublimes imagines *prophetice* depinguntur. Forma libri ex integro respondet rei gravitati; hinc istius operis ideis non solum sominatores mystici, sed etiam omnes viri veram poësin et sanam mysticam sectantes semper vehementer delectati sunt (e. g. Dante). Proinde relationem Apocalypsis ad caeteros N. T. libros paucis ita definire licet: Apocalypsis gloriosum librorum N. T. constituit complementum, ita ut omnes libri pulcherrimum et integerrimum corpus efficiant, a primo versu Evangelii s. Matthaei: „Liber generationis“ etc. (I, 1) usque ad ultimam Jesu Christi promissionem: „Venio cito“ et ad ultimum Prophetae suspirium: „Veni, Domine JESU“! (Apoc. XXII, 20).

APPENDIX.

De Canone. Historia textus.

I.

De Canone.

§. 88.

Primitivus Canonis status.

Vox Canon (*κανών*) proprie normam sive regulam significat, postea vero juxta usum in ecclesia catholica consuetum denotare coepit elenchum definitum seu indicem librorum, quos eadem Ecclesia fidelibus suis ceu divinos proposuit; est ergo Canon: *Regula seu index sacrorum librorum.* Haec tamen vocis significatio ante Origenem († 254) non occurrit; aderat res ab initio Ecclesiae apostolicae, pro sua autem natura *pedetentim* perficiebatur. Apostolorum enim scripta in principio pro temporis locorumque ratione fuerunt dispersa, mox tamen reciproca fidelium charitas pretiosissimos istos thesauros spirituales sibi communes effecit. S. Paulus ipse ad Colossenses scribit: „Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite, ut in Laodicensium Ecclesia legatur; et eam, quae Laodicensium est, vos legatis" (4, 16). Sic b. Petro cognitum est, plures saltem Pauli epistolas in manibus fidelium esse (II. Petr. 3, 16). Pari modo jam initio saeculi secundi permutatione facta inter s. Polycarpum et ecclesiam Philippensium collectio epistolarum s. Ignatii fieri potuit; quanto alacriori studio fideles Apostolorum scripta collegerint!

Per se patet, illas ecclesias, quae multo invicem utebantur commercio, caeteris prius hujusmodi collectione gavisas fuisse, e. gr. quae

ad mare mediterraneum et in Asia minori erant sitae. Tam fideles quam haeretici mox tales habuere collectiones, e. gr. tempore Trajani imp. (98 — 117) Philippenses et Smyrnenses, tempore Antonini Pii (138—161) Marcion. Eximia apostolicorum scriptorum praestantia in eo consistebat, ut mox sacris Antiqui Testamenti libris aequarentur, sicut jam s. Petrus divi Pauli epistolas inter γραφάς collocat (II. Petr. 3, 15. 16). Pariter legebantur in ecclesiis aliisque religiosis coetibus; qui quidem honos etiam nonnullis aliis clarorum virorum scriptis contigit e. g. epistolae s. Clementis; ast pro catholica fide argumenta nonnisi ex divinis scriptis haurire licuit.

§. 89.

Enumeratio antiquissimorum s. librorum indicum.

Indices, qui ex tempore ante Concilium Nicaenum (325), quod primo Canonem circumscripsit, ad nos pervenerunt, sunt sequentes:

I. Index cujusdam anonymi ex Ecclesia Romana, quique nomine *fragmenti Muratoriani* venit, si non sub finem saeculi secundi, certe tamen ineunte saeculo tertio lingua latina sed vehementer barbara conscriptus fuit. Ab initio et in fine plura desunt; nihilominus omnia scripta nostra cohibet, excipe secundam epistolam Petri et tertiam Joannis, de quibus nos auctor in incerto relinquit, nec non epistolam ad Hebraeos, quam penitus repudiasse videtur.

II. Alter Canon est *Origenis*, bis ab ipso citatus; prima vice in septima Homilia in librum Josue, ubi omnes et singuli viginti septem N. T. libri nomine adpellantur; altera vice in loco, quem Eusebius in Hist. Eccl. VI, 25 producit. Hac occasione mentionem facit de dubiis, quae nonnulli circa secundam epistolam Petri, secundam et tertiam Joannis, nec non et illam Jacobi moverunt.

III. Tertius est ille ecclesiae syriacae ex versione, quae *Peschito* inscribitur. Cunctos nostros continet libros praeter Apocalypsin et quatuor epistolas catholicas, quum ex hisce nonnisi epistola Jacobi, prima Petri et prima Joannis in eadem occurrant.

IV. Quartus demum et memoratu dignissimus Canon est *Eusebii,* qui historiam scripsit ecclesiasticam, et proinde non suae tantum ecclesiae traditiones, sicuti caeteri priores, sed communem omnium expressit

sensum. Aperte etiam τὴν παράδοσιν ceu fontem assignat. Non solum Ecclesiae orientalis et occidentalis ritus, sed etiam omnium auctorum graviora noverat scripta. Eusebius sacra scripta in tres classes dispescit et quidem:

a) in ὁμολογούμενα, quae scilicet ab omnibus et ubique tamquam apostolica agnoscebantur;

b) in ἀντιλεγόμενα, quae, ut aperte dicit, a *pluribus* revera apostolicae originis habebantur, a *nonnullis* autem impugnabantur;

c) in νόθα, sive spuria, quae quidem a piis auctoribus, non vero ab Apostolis composita fuerunt, et quibus nihilominus a nonnullis apostolica origo tribuebatur; e. g. Apocalypsis Petri.

Inter ὁμολογούμενα collocat quatuor Evangelia, actus Apostolorum, quatuordecim — ergo omnes — Pauli epistolas, quamvis eum non fugiat, epistolam ad Hebraeos a quibusdam rejici; insuper addit primam Petri et primam Joannis epistolam.

Inter ἀντιλεγόμενα ponit epistolam Jacobi, secundam Petri, secundam et tertiam Joannis et Judae.

Inter νόθα refert plura scripta apocrypha. Apocalypsin Joannis tum ὁμολογουμένοις, tum νόθοις inserit, et quidem propterea quod tunc lis de hujus libri genuinitate exarserat.

Ita res se habuit usque ad Concilium Nicaenum.

§. 90.

Canonis circumscriptio.

Postquam totius orbis episcopi in Concilio Nicaeno traditiones suas invicem secum communicaverant, variae de Canone differentiae, quin expresse quid statueretur, evanescere coeperunt; paucissimae tamen sunt excipiendae, e. gr. de Apocalypsi et epistola ad Hebraeos contentio. Sic Cyrillus Hierosolymitanus in Canone suo praeter Apocalypsin omnes et singulos libros nostros enumerat. Plane idem occurrit in Canone Concilii Laodiceni (364—370). Ast ad unum omnes libros N. T. continet Canon s. Athanasii. Solenniter s. librorum Canon circumscriptus et fixus fuit in tertio Concilio Carthaginensi (a. 397), qua occasione etiam s. Augustinus utilissimam navavit operam. Interfuerunt

quidem huic Concilio nonnisi quadraginta sex episcopi; attamen tunc Canon iste in Canonum Africanae ecclesiae collectiones receptus et in quinta Concilio Carthag. (a. 419) a ducentis episcopis re diligentissime pertractata iterum solennissime confirmatus est.

§. 91.

Catholica hujus Canonis confirmatio.

Haec Canonis nostri confirmatio subsecuta est jam ante quintum istud Concilium Carthag. per summum Pontificem Innocentium I. (402–417) in epistola ad Exsuperium episcopum Tolosetanum, quum iste quaestionem quandam desuper movisset. Tali modo Ecclesia Romana suum protulit judicium et cum eadem omnes episcopi occidentales; sic *catholica* adparuit Canonis confirmatio, etiamsi Concilium Trullanum (a. 692) orientis suffragium non addidisset.

Ita res se habuit usque ad saeculum XVI., quo haeretici sacram Scripturam impia manu tractantes sacrosanctum Concilium Tridentinum coegerunt ultimum, ut ita dicam, Canoni figere sigillum, eundemque „cum omnibus partibus, prout in Vulgata latina habetur" confirmare (Sess. IV.).

Nota. Cf. A. Vincenzi: Sessio quarta Concilii Trident. vindicata etc. Romae 1842. 2 Vol.

Conveniunt igitur eruditorum disquisitiones, summorum virorum ecclesiasticorum testimonia, conveniunt, quod majoris est momenti. testimonia antiquissimarum et celeberrimarum ecclesiarum, tandem, quod summum est, testimonium totius Ecclesiae catholicae et Spiritus sancti eidem assistentis, quibus suffulti hosce libros eosque solos tamquam sanctas et divinas Scripturas recipimus et veneramur. „Accipe et devora"!

Eandem auctoritatem Patres in Spiritu s. congregati etiam libris Foederis Antiqui vindicarunt.

Nota. Ad solvendas quaestiones de Canone utilissimus exstat liber qui inscribitur: Quellensammlung zur Geschichte des neutestamentlichen Canons bis auf Hieronymus. Herausgegeben von Joh. Kirchhofer, Prof. der Theologie zu Schaffhausen. Zürich, 1844. Meyer et Zeller.

II.

Historia textus.

§. 92.

De textu primario et versionibus.

S. Scripturae textus ex parte in lingua originaria, ex parte in versionibus nobis superest. Loquemur igitur I. de textu originario, II. de versionibus.

I. De textu originario.

Heic tria nobis consideranda sunt: A. textus originarius in forma primitiva; B. idem in mutationibus, quas per decursum temporis subiit; C. natura criticae textus.

§. 93.

A. Forma textus primitiva.

1. Veteres ad scribendum atramento, calamo et charta utebantur. Charta duplicis erat generis, subtilior et densior; ad epistolas prior adhibebatur; ad exarandos sermones longiores etiam membranae sumebantur, sicuti Paulus in II. Tim. 4, 13 dicit: *φέρε . . . μεμβράνας*. Chartae, atramenti et pennae mentionem facit Joannes in II. ep. v. 12: „. . . *ὑμῖν γράφειν οὐκ ἐβουλήθην διὰ χάρτου καὶ μέλανος*“. et in III. ep. v. 13: „. . . *οὐ θέλω διὰ μέλανος καὶ καλάμου σοι γράψαι.*“

2. Quaeritur, qua ratione sacra scripta fuerint divulgata? Veteres scribenda non propria exarare manu, sed scribis dictare solebant; hunc morem secutus est b. Paulus, sola in fine epistolarum propria manu salutatione addita; e. g. II. Thess. 3, 17: „Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola: ita scribo“; et ad Rom. 16, 22: „Saluto vos ego . . qui scripsi epistolam, in Domino.“ Tunc scripta in coetibus, ad quos erant directa, praelegebantur; fideles laetabundi eadem relegebant et describebant.

De autographis s. auctorum ne vestigium quidem superest, cuncta jam primis temporibus perierunt; quod quidem nemini mirum videbitur, qui perpenderit, quantopere per tam multiplicem usum fuerint trita. Exinde patet, nonnisi de exemplaribus (apographis) sermonem injici

sex constituebant pericopas (κεφάλαια); totidem Evangelia continebant. Quum deinceps dies festi et sacri ritus adaugerentur, istae pericopae majores in plures minores redactae sunt.

5. Quae in praesentiarum habetur in „*capita*" divisio, debetur Cardinali Hugoni a s. Caro (S. Cher), Ordin. Praedicatorum per Galliam Provinciali († 1262), qui eandem, quo facilius Concordantiam biblicam componeret, in Vulgata adhibuit. Saeculo decimo quinto etiam in manuscripta graeca et exinde in opera typographica transiit. Praesentem denique separationem in versus, ita ut numeris actu receptis signarentur, introduxit typographus Robertus Stephanus in sua Novi Testamenti editione anno 1551.

6. Forma litterarum primitus erat sic dicta *uncialis*, scilicet litterae erant quadratae majores invicem non connexae; ast minoris spatii et majoris commoditatis causa sensim — inde a saeculo septimo — literae oblongae, minusculae, inter se cohaerentes (Kursivschrift) adhiberi coeperunt. Codices a saeculo decimo fere omnes sic conscripti fuere, donec ars typographica saeculo decimo quinto inventa novam prorsus aperiret aeram.

7. Jam dudum aderant biblia *hebraicis* typis edita, versiones *latinae* et *germanicae* divulgatae, quum tandem in lucem prodiit prima vice Novum Testamentum *graece*, et quidem cura et impensis celeberrimi Cardinalis *Ximenis*, Archiepiscopi Toletani. Habetur in Polyglottis, quae: „Biblia Complutensia" dicuntur, quoniam Compluti (Alcalae) prelo fuerunt subjecta. Impressio N. T. jam anno 1514. ad finem perducta erat, integrum autem opus demum anno 1517. publicatum est. Altera editio est Erasmi Rotterodami, qui Complutensia tempore praeveniens eam jam anno 1516. publici juris fecit. Horum vestigiis ex parte insistens bibliographus *Robertus Stephanus* ab anno 1546. plures instituit editiones, quarum quarta (1551.) prima vice distinctos exhibuit versus.

Hos secutus est *Theodorus Beza*, Calvino amicus, qui ab anno 1565. plures emendatas textus graeci procuravit editiones. Textus hic Bezae et Stephani Roberti evasit communis, ita ut nimio certe honore „*textus receptus*" diceretur, et reapse multo tempore ceu inviolabilis communiter adhiberetur. Revera autem textus iste temere corrosus dicendus est, quum haud multi codices et plerumque serioris aev

fuerint consulti. Insuper editores firmis carebant criteriis ad lectiones variantes rite dijudicandas. Quibus defectibus ut mederentur, inde a saeculo decimo septimo novam prorsus statuerunt et excoluerunt scientiam, scilicet: „biblici textus criticam."

§. 97.

C. Critica textus biblici.

Hujus scientiae *basis* sunt fata superius enumerata, quae in textum originalem vim quamdam exercuerunt. *Natura* et *momentum* ejusdem in eo consistit, ut textus primitivus summa qua possit fide et quam accuratissime reddatur. *Auxilia* vero sunt comparatio fontium antiquorum, scilicet: loci a patribus citati, collatio codicum et versionum. Codices antiquissimi et celebrimi sunt: B = Codex *Vaticanus*, procul dubio omnium vetustissimus, verosimiliter saeculo quarto conscriptus. Caret vocum separatione, et rara occurrunt signa distinctiva, quae tamen serius immixta fuerunt. Codex iste novissimo tempore ab Angelo Maio editus est [1]). Alter est Codex A = *Alexandrinus*, e saeculo quinto; in Museo Britannico Londini asservatur et jam nonnullas vocum separationes exhibet. Tertius est Codex C = *Parisinus*, qui etiam *Ephraem Syri* sive *Ephraem rescriptus* vocatur, ex eo quod partes quaedam e LXX. et fere totum N. T. e pergamena deletae et nonnulla ex operibus Ephraem Syri eidem inscripta sunt.

Fructus denique harum disquisitionum criticarum sunt plures egregiae N. T. editiones, quas cl. Griesbachius, Scholzius, Lachmannus et Tischendorfius divulgarunt. Inter catholicos cl. Scholzius textus critica primus excelluit, quippe qui in longinquas profectus est regiones, ut codices conquireret eosque inter se conferret. Cl. Lachmannus, s. Hieronymum imitatus, in editionibus suis praecipue *antiquissimos* codices consuluit. Etiam cl. Tischendorfius laborem suum summa, qua potuit cura et singulari studio prosecutus est.

Quae editiones cum non solum inter se, sed etiam textui antiquitus recepto in *essentialibus* concordent, firmissimum nobis constituunt

---

1) Ἡ παλαιὰ καὶ ἡ καινὴ Διαθήκη — Vetus et novum Testamentum ex antiquissimo codice vaticano edidit Angelus Maius S. R. E. Card. — Romae apud Josephum Spithöver, Lipsiae apud E. F. Steinacker 1857.

argumentum, sacras Scripturas in *essentialibus* a nobis incorruptas possideri.

§. 98.

II. De versionibus.

Versionum usus duplex est: *criticus* ad dignoscendum textum originalem, et, qui majoris est momenti, *hermeneuticus*, quo textus iste facilius intelligatur; pro nobis, qui fidem catholicam profitemur, versio latina, quae *Vulgata* audit, per usum Ecclesiae sanctificata est. Praeter hanc nobis memorandae etiam sunt versio *syriaca* et *gothica*.

1. *Vulgata*. Primum multae fuerunt versiones latinae, prima autem vix Romae exorta videtur, quoniam ipsa plebs urbana tunc temporis linguae graecae certe tam gnara fuit, ut versione latina haud opus fuerit. Alibi in Italia facta fuisse videtur. Celeberrima versionum latinarum evasit sic dicta „*Itala*“, quae, cum prae caeteris esset *divulgata*, *Vulgata* vel *communis* dicebatur, et a s. Augustino summis laudibus extollebatur, utpote quae „est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae“ (L. II. de doctr. Christ. 16). Cum haec et aliae verosimiliter saeculo secundo exortae sint, omnes τὴν κοινὴν ἔκδοσιν i. e. textum originarium ante recensiones factas sequutae sunt. Mox aliae diversi generis correctiones inferebantur usque ad tempora s. Hieronymi. Hic jussu summi Pontificis Damasi I. novam Vulgatae versionis recensionem instituit et collatis antiquis codicibus graecis quam diligentissime perfecit (anno 383). Nihilominus ab omnibus non fuit recepta, donec Gregorius Magnus hanc communem esse praescripsit. Attamen et hic emendatus Vulgatae textus diversas subiit mutationes, ita ut sensim novae emundationes requirerentur, quas primum Alcuinus et Carolus M., aevo medio Lanfrancus, inclytae famae abbas Beccensis, paulo post Archiepiscopus Cantuariensis († 1089) in se susceperunt. Mox etiam nonnulli ordines religiosi propriis utebantur „correctoriis“ i. e. codicibus emendatis, ad quorum marginem variantes textus originalis vel aliorum Vulgatae manuscriptorum „notae criticae“ addebantur; e. g. Dominicani in Gallia (anno 1236) jussu Provincialis Hugonis a s. Caro; quod vero minime impedivit, quominus Vulgatae textus diversissimus redderetur. Tandem typographica arte inventa Vulgata statim prelo subjecta est (1462); at etiam istae editiones vix correctae dicendae

erant; hinc viri docti novas e textu originali versiones publicarunt. Ut jam ingenti occurreret confusioni, sacrosancta Synodus Tridentina in sess. IV. decreto: „de canonicis scripturis“ Vulgatam velut authenticam adprobavit: „Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit ac declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praelectionibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat.“ Eadem vero sacrosancta Synodus etiam monet: „ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata Editio, quam emendatissime imprimatur.“ Jam Pius IV. et Pius V. doctorum virorum coetui mandaverunt huic Concilii decreto quantocius satisfacere; sed cum primum emendatio „Septuagintae“ pararetur, editio Vulgatae prorogata fuit usque ad tempora Sixti V., qui hoc negotium non solum sua auctoritate, sed et propria manu strenue adjuvit. Anno 1590. divulgata mox vix non erroribus scatere deprehensa est; hinc Gregorius XIV. emendationis opus prosecutus est et Clemens VIII. perfecit, ita ut anno 1592. haec editio „normalis“ in lucem prodiret. Summus Pontifex Bulla praemissa quascunque futuri temporis mutationes praescidit. Haec editio ex integro secuta est textum s. Hieronymi originalem.

2. Versio *syriaca* vocatur *Peschito* i. e. litteralis (opposita paraphrasibus = תַּרְגּוּמִים). Verosimiliter omnium versionum prima et antiquissima priori saeculi secundi parte exarata fuit. Cujus versionis quis fuerit auctor, ignoratur. Versio ipsa sensum fideliter reddit, quin linguae genio officiat; desiderantur vero, uti jam supra innuimus, quinque N. T. libri.

3. Versio *gothica* Ulfilae. Ulfilas (318—388) Visigothorum (germanicae originis) fuit episcopus. Anno post Christum natum 355. gentem suam Istro trajecto in Moesiam traduxit, ubi cum populo suo Arianismum amplexatus est. Eodem tempore sacram Scripturam *gothice* reddidit. Versionis A. T. perpauca nobis supersunt fragmenta, multo plura N. T. e. g. quatuor Evangelia (in quibus pauca desunt) et Pauli epistolae (excipe illam ad Hebraeos) etc. Evangelia habentur

in codice argenteo Upsalensi, et primum publicata fuerunt 1665. per Franciscum Junium et Thomam Marschallum. Epistolas Pauli demum Angelus Maius in bibliotheca Ambrosiana Mediolani detexit.

Nobiliores hujus thesauri editiones sunt: *Gabelentz* et *Löbe*: „Ulfilas. Veteris et novi Testamenti Versionis gothicae fragmenta, quae supersunt etc. Lipsiae 1843. 2 voll. — *H. F. Massmann*: Ulfilas. Die heiligen Schriften alten und neuen Bundes in gothischer Sprache mit gegenüberstehendem griechischem und latein. Texte, Anmerkungen, Wörterbuch und Sprachlehre und geschichtlicher Einleitung. Stuttgart 1857.“ *Fr. Ludw. Stamm*: „Ulfila, oder die uns erhaltenen Denkmale der gothischen Sprache. Text, Grammatik und Wörterbuch. Paderborn. F. Schöningh.









